

www.e-rara.ch

**Joannis Calvini praelectiones, in duodecim Prophetas (quos vocant) minores.
Ad serenissimum Suetiae et Gothiae regem, reconditam harum
commentationum doctrinam facile commonstrabunt indices in calce ...**

**Calvin, Jean
Budé, Jean
Crespin, Jean**

Genève, 1581

Bibliothèque de Genève

Shelf Mark: X 3154

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1060>

In Nahum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DA omnipotens Deus, quando tot vitiis in nobis scatemus, quibus quotidie pronocamus iram tuā, & sc̄ conscientias nostras interrogemus, sumus obnoxij eterna mortis iudicio, imò meriti sumus centum & mille mortes: da inquam, vt luctemur contra omnes dissidentias carnis nostrae, & immensam tuam misericordiam sic amplectamur, ne dubitemus te nobis fore propitium, neque tamen abutimur hac facilitate ad licentiam peccandi, sed ita cum timore, & vera humilitate, & solitudine ambulemus in verbo tuo, vt tamen quotidie non dubitemus ad tuam misericordiam confugere, quae nos sustineat & seruet incolumes: donec tandem exuti omnibus vitiis, & omni reatu liberati perueniamus in regnum illud celeste, ubi fruamur fructu fidei nostrae, hoc est, eternam illam hereditatem, qua nobis parata est sanguine vnigeniti Filij tui, Amen.



In Nahum Prophetam, Ioan- NIS CALVINI

PRAELECTIONES.

CAPVT I.

*Nus Nineueh, liber visionis Nahum Helkosi.*

Quo tempore Prophetauerit Nahum non potest certo asseri. Hebraei, vt sunt audaces in fingendo, dicunt functum fuisse officio docendi sub Manasse, & idco nomen impij Regis fuisse suppressum, quia indignus erat hoc honorē, vel quia infelix erat memoria regni eius, quod fuisset abductus in captiuitatem. Siquis rationem à Iudaeis postulet, tantū dicent ita sibi videri. Quum igitur nulla sit ratio huius coniecturae, veniendum est ad probabiles rationes. Qui putant sub Iotham prophetasse, falluntur proculdubio, & nullo negotio refelli possunt: quia hīc minatur excidium vrbī Nineuē, eod quod Assyrii crudeliter vexauerant regnum Israel. Ergo propter istas iniurias denuntiat vindictā. Atqui sub Iotham regnum Israel nondum prorsus vastatū erat. Scimus enim Assyrios fuisse subornatos à rege Achaz, quum non esset par ad resistendum, vbi duo reges vicini Syriae & Israel ipsum aggressi fuerant. hinc factum est vt Assyrii penetrauerint in terram Israel, atque successu temporis deleuerint totum illud regnum. Medio tempore prophetauit Nahū, quia voluit ostendere, Deo curae esse regnum illud, idque respectu adoptionis, vel foederis, quia Israelitae iam defecerant à populo Dei sua perfidia: sed manebat tamen adhuc firmum foedus coram Deo. Voluit igitur ostendere se esse patrem & praesidem regni illius. Quum tale fuerit cōsiliū Prophetæ nostri, certū est docuisse vel post mortē Achaz sub Ezechia, vel circiter illud tempus. Sequutus est autem Ionam longo tempore, vt facile colligi potest. Ionas, vt antē vidimus, minatus fuerat vrbī Nineuē: sed remissa fuerat poena Nineuitis, quod sese humiliassent, ac suppliciter deprecati essent poenam: postea redierant ad ingenium, vt fieri solet: hinc factum est, vt Deus minus fuerit erga eos exorabilis. Quamquam enim erant extranei, Deus tamen dignatus fuerat ipsos hac gratia, quod edocti fuerant ministerio & opera Ionae: & resipiscētia eorum non prorsus ficta fuit. Quum ergo iā imbuti fuissent aliqua notitia veri Dei, minus excusabilis fuit eorum crudelitas quum vellēt opprimere regnum Israel. Sciebant enim gentem illam esse Deo sacram: hoc erat quodammodo violare Deum ipsum. Nunc ergo tenemus quo tempore verisimile sit Nahum functum fuisse docendi officio, quamquam vt initio praefatus sum, nihil certo nobis constat. Ideo damnaui temeritatis Rabbinos, quia quiduis audent instar oraculi proferre, quamquam nulla illis constat certitudo. Iam attigi aliqua ex parte Prophetæ cōsiliū. Summa haec est, quum Assyrii pridem molesti fuissent regno Israel, Prophetam surgere, & hortari ad patientiam Israelitas, si qui illic erant residui Dei cultores: quoniam Deus non prorsus abiecerit curam ipsorum, sed velit suscipere eorum causam, quia erant sub eius patrociniō. Haec summa est. Quantum attinet ad Nineuem, diximus fuisse caput primae Monarchiae, quandiu Assyrii aliis omnibus dominati sunt. Nam Babylon erat quasi vna ex praefecturis, hoc est, Chaldaea, cuius metropolis erat Babylon, erat vna ex praefecturis illius Monarchiae. Postea translatum fuit imperium à Meroe-baladam.

Alii putant Nabuchodonosorem fuisse primum Monarcham Chaldaæ. Sed ego in ea re nō multum laboro, quia fieri potest, ut Meroc-baladam fuerit binomius: & hoc fuit satis vulgare: quemadmodum scimus reges Aegypti vocatos fuisse Pharaones, ita etiam Assyrii & Chaldaei, quanvis essent prius aliter vocati, sumpserunt commune illud nomen quasi regium. Nineue autem tanta celebritate excelebat, ut non potuerit aliter stabiliri regnum apud Babylonios, nisi illa vrbe diruta. Scimus enim quanta fuerit eius amplitudo. Diximus de ea re aliquid quum exposuimus Ionam. Sed tamen complexa fuit ferè iter tridui suo ambitu, ut etiam tradunt profani Scriptores. Deinde muri alti erant vsque ad centum pedes, lati autē, ut possent quadrigæ sine occurſu trāſire: erāt mille & quingentæ turres. Videmus itaque non abs re olim fuisse celebratam tot præconiis illam urbem: dicunt Ninum fuisse eius authorem, sed error ille refellitur testimonio Moſis Gen. decimo capite: quemadmodum fingunt etiam Semiramidem fuisse primam reginam Babylonis, & urbem extructam ab ea. Hoc fabulosum est. Fieri potest ut urbem amplificauerit: sed tamen erat Babylon multis seculis antequam nasceretur. Sicuti etiam Ninus potuit urbem illam augere, & ornare: sed vrbs ante ipsum natum erat condita. Quod profani scriptores vocant Ninum, non Nineuen, probabile est corruptum fuisse ab illis Hebraicum nomen, ut fieri sæpe solet. Quicquid sit, quum vellet Meroc-baladam, vel filius, qui fuit eius successor: quū ergo vellet stabilire sedē imperii in Babylone, coactus est euertere Nineuē, ut cessaret æmulatio. Ita factum est, ut vrbs prorsus diruta fuerit. De hoc excidio vaticinatur Nahum, ut suo loco videbimus. Quanquam autē pars doctrinæ spectabat ad Israelitas, & Iudæos, denominat tamen à maiori parte librum suum: vocat *Onus Nineue*. Iam de voce *Nineue* alibi diximus. Sic Prophetæ nominant tristitia vaticinia, quoties denuntiant grauem aliquam & formidabilem vindictam Dei. Et quia sæpe minitabantur Iudæis, hinc etiam factum est, ut per ludibrium nomine illo *Nineue* vocarent omnes prophetias. Sed tamen propria est notatio huius vocis. Perinde igitur est ac si Nahum diceret se mitti feciale diuinitus, qui bellum indicat Nineuitis in gratiam electi populi. Hinc poterant colligere Israelitæ quā verax & firmus esset in fœdere suo Deus, quod adhuc ipsorum curam gereret, quum tamen alienati essent suis sceleribus ab eo. Postea adiungit *וִיִּזְוֶהוּ*, Liber visionis. Hæc particula significat se nō frustra denuntiare Nineuitis exitium, quia fideliter tradat quæ à Deo accepit. Si enim simpliciter præfatus esset se minitari cladem Assyriis, poterat de euentu ipso quæstio moueri. Sed hic conciliat sibi auctoritatem à nomine Dei quia palam affirmat se nihil asferre proprium, sed onus istud sibi fuisse patefactum oraculo cœlesti. Nam *וִיִּזְוֶהוּ* est propriè Videre, unde etiam *וִיִּזְוֶהוּ* Hebræi nominant visionem. Prophetæ autem quum loquuntur de visione, non intelligūt spectrum aliquod, vel imaginationem, sed speciem illam reuelationis, de qua fit mentio Numerorum 14. cap. vbi Deus loqui se Prophetis dicit vel per visionem, vel per somnium. Videmus ergo in quem finem hoc additum fuerit, nepe Onus Nineue esse visionē, ut scirēt Israelitæ asferri quidē ab homine mortali testimoniū hoc vindictæ Dei contra hostes suos: sed interim nihil esse dubium, quia Deus ipse author esset huius prophetiæ. Vocat se Nahū Helkosæum. Quidā putant esse nomē familiæ, Iudæi suo more dicunt, hoc esse nomen patris: deinde addunt illud suum vulgare commentum, quod fuerit etiam hic Helkos Prophetæ: quia vbi exprimitur nomen patris apud Prophetas, statuunt illum, cuius ponitur nomen fuisse etiam Prophetā. sed sunt meræ nugæ. Et iam aliquoties vidimus quanta sit eorum proteruita in fabulis comminiscendis. Deinde terminatio vocis nos huc adducit, fuisse Gentile nomen loci potius. Et Hieronymus etiam tradit suo tempore fuisse vicum ignobilem in tribu Simeon hoc nomine. Tenendum igitur est fuisse Nahum oriundum ex oppido illo, & ideo vel hoc sensu vocari Helkosci. Iam pergamus:

2 *Deus emulatur, sic vertunt, & vlsciscens Iehoua, vlsciscens Iehoua, & Dominus ira, vel possidens iram, vlsciscens Iehoua hostes suos & seruans, vel reponens, idem, vel ipse, inimicus suis.*

Præfatur Nahum de natura Dei, ut quod postea subiicit de excidio Nineue plus habeat ponderis, & magis afficiat auditores. Est hæc generalis præfatio, sed postea eam accommodabit Prophetæ in vsum specialem. Si tantum concionatus esset de natura Dei, hoc fuisset frigidum vel saltem minus efficax: sed vbi vtrunque simul coniungit, tunc doctrina ipsa habet suam vehementiam. Tenemus consilium Prophetæ. Poterat enim differere de excidio vrbs Nineue. Sed quia si loquutus esset ex abrupto, poterant profani homines ludibrio ipsum habere: Israelitæ etiam fortè minus tacti fuissent: hæc ratio est cur generaliter ostendat qualis sit Deus. Sumit autem hæc verba à Moſe, ut Prophetæ solent inde mutuari suam doctrinam. Et illa omnium maximè memorabilis fuit visio, quum Deus Moſi apparuit post fractas tabulas. Ego itaque non dubito, quin Nahum sumpserit ex 34. cap. Exodi, quod hic legimus. non refert quidem ad verbum quæ illic habentur: sed satis apparet qua-

ret quasi ad viuum pingere imaginem Dei, ex qua perspicui possit eius natura. Primò dicit *Deum esse æmulum*. Nam verbum *אֱמָלָם* significat Irritare, significat etiam *Æmulari*, significat Inuidere. Quum Deus vocatur *אֱמָלָם*, vertunt Græci *ἐμύλω*, Latini *æmulatorem*. Sed propriè significat, non posse Deum ferre iniurias. Deus ergo etiam si ad tempus conniueat ad scelera hominum, tamen vindex erit suæ gloriæ. Postea vocat ipsum ultorem, & tertio hoc repetit, *Iehoua vlciscens, Iehoua vlciscens & possidens iram, vlciscetur, inquit, hostes suos & seruabit inimicis suis*. Quum dicit Deum seruare, intelligit vindictam esse repositam incredulis, & eius contemptoribus. Est etiam nobis eadem locutio in vsu, *Je luy garde, & il la garde à ses ennemis*. Ostendit igitur phrasis nostræ linguæ quid hîc velit Propheta, Deum seruare inimicis suis. Quod autem describit Deum terribilem, hoc debet accommodari ad statum præsentis causæ, dicit se indicare bellum Nineuitis, quia iniuste afflixerant Ecclesiam Dei, hæc ratione dicit Deum esse æmulum, Deum esse ultorem, & tertio hoc confirmat, nepe ut statuunt Israelitæ feriò denuntiari hanc cladem, quia nisi proposita illis fuisset hæc imago, poterant ita apud se ratiocinari, Nos quidem crudeliter vexamur ab hostibus nostris: sed quis putaret Deo curæ esse nostras miseras, quum tandiu inultas sinat? Oportuit igitur Prophetam occurrere his cogitationibus, quemadmodum facit. Nunc melius tenemus cur tam vehementi principio vtatur, quum vocat Deum & æmulum & ultorē. Postea addit, *Deum possidere iram*. Ego *אֱמָלָם* non simpliciter accipio pro ira, sed pro effectu iræ. Non debemus quidem imaginari, ut sæpius alibi dictum est, cadere in Deum nostros affectus. Ipse enim manet perpetuò sui similis, sed tamen Deus dicitur nobis irasci ad tempus: in perpetuum verò omnibus reprobis, quia & noster & illorum est Iudex. Hîc igitur quum Propheta dicit *Deum esse Dominum iræ*, vel possidere iram, significat eum armatum esse vindicta: & quauis dissimulet ad hominum peccata, non tamen ipsum torpere, neque etiam cunctari, quia destituatur potentia, vel quia sit ignauus & locors, sed ipsum tenere iram, quemadmodum postea iterum repetet, *Ipse seruat inimicis suis*. Denique his loquendi formis significat Propheta perperam æstimari Deum ex cessatione, quum non statim exequitur sua iudicia. Differt enim in tempus opportunum. Sed interea non est cur putemus ipsum oblitum esse officii sui ubi pœnas suspendit, vel parcat ad tempus impiis. Si ergo non ita citò festinat Deus, tamen non est cur putemus illum ociosum sedere. Differt enim potius iram suam, vel retinet: quemadmodum iam dixit prius. Idem est enim retinere, vel dominum esse iræ & possidere iram. Sequitur:

3 *Iehoua tardus iræ ad verbum: sed tardus ad iram, & magnus robore: & purgando non purgabit: Iehoua in turbine & tempestate via eius, & nubes pedum eius.*

Prosequitur eandem sententiam Propheta: & satis erit longum præmium de natura Dei quod tamen, ut dixi, aptandum est ad specialem causam, quam tractabit suo ordine. Dicit hîc *Deum tardum ad iram*. Quanquam hoc elogium etiam ex Mose sumptum est, tamen hîc per modum occupationis loquitur Propheta. Occurrit enim impiorum audaciæ, qui securè Deum subannant quum denuntiatur illis aliquid aduersum, Vbi esset misericordia Dei? an Deus exueret affectum clementiæ? non potest abnegare seipsum. Ita igitur profani homines prætextu honoris, Deum atrocissima contumelia afficiunt, quia exuunt eum sua virtute & officio. nec dubium est, quin iam seculo Prophetæ nostri hoc vsitatum fuerit multis impiis. Ergo hîc anticipat Propheta, & concedit Deum esse tardum ad iram. est igitur in hac parte concessio. sed, inquit, *magnus est robore*, hoc est ne sibi blandiatur impij, quum audiunt ornari Deum his titulis: quod sit patiens, tardus ad iram, misericors, plenus clementiæ: simul inquit, concipiant magnitudinē potentiæ Dei, ne putent sibi negotiū esse cū puero. Nunc ergo videmus consilium Prophetæ: neque quadraret præsentī argumento hic titulus, quod Deus nō profiliat citò ad iram, sed patienter differat & suspendat pœnas, quas meriti sunt impij, hoc ad rem nihil faceret, nisi per speciem concessionis interpositum esset à Propheta: quasi diceret, Video ut passim Deo mūdus illudat & impij etiam talibus dictariis sibi delicias faciant & repellant omnes minas. Ego quidem fateor Deum propensum esse ad veniam & non descendere ad iram, nisi extrema necessitate cogatur. hoc quidem verum est, sed interim scitote Deum instructū esse sua virtute: non effugient igitur quicunque ita sibi permittunt abuti eius patientia: imò proteruiunt aduersus ipsum. Iam adiungit, *Mundādo non mundabit*. Alii vertunt, Innocentem, non reddet innocentem. sed hic est genuinus sensus loci, quemadmodum etiam 34. illo Exod. cap. Moses intelligit Deum esse implacabilem reprobis. Alius fuit sensus apud Ioelem in fine tertii cap. ubi dicebat, Mundabo sanguines, non mundabo. Illic variant interpretes, quia non reputant tempus verbi mutandū esse. Significat enim Deus se purgaturum sordes & inquinamēta Ecclesiæ suæ, quæ ante illud tempus non purgauerat. sed Moses intelligit Deum rigidè agere cum peccatoribus, ita

ut nihil pœnæ remittat. Mundando igitur non mundabo, hoc est, Deus exigit ad regulam omnia hominum facta: & quemadmodum nihil eum latet, ita etiam necesse erit quicquid peccauerint homines, prodire in medium, ubi Deus conscendet Tribunal: non mundabit mundando, sed rigide exequetur suum iudicium. Videtur aliqua esse repugnantia species, quod Deus placabilis sit, & facilis ad ignoscendum, & tamen mundando non mundet. Sed diuersi sunt respectus. Diximus enim quorsum tendat Propheta: quia semper impii sibi promittunt impunitatem, & hac fiducia petulanter Deum ipsum derident, occurrunt Propheta, & asserit non esse cur Dei indulgentia sic abutantur, quia mundando non mundet, nempe reprobos: quia salus nostra posita est in gratuita remissione peccatorum. Et unde nobis iustitia nisi quatenus imputatur à Deo? deinde quatenus sepelit peccata nostra? Imò tota nostra mundities pendet ex indulgentia Dei, sed Deus etiam tunc exercet suum iudicium, & mundando mundat quum fidelibus remittit sua peccata. nam fideles ipsi pœnitentia iudicium eius præueniunt: & examinat ita eorum conscientias, ut velit purgare. Quid enim aliud est pœnitentia nisi damnatio, quæ tamen nobis tandem est salutaris? Quoniam ergo Deus neminem absoluit nisi prius damnatum, hæc verè affirmat Propheta noster, quod mundando non mundet, hoc est, non remittat eorum peccata quin semper examinet eos, & fungatur Iudicis officio. denique nullum peccatum à Deo remittitur quod prius non damnet. Quantum verò attinet ad reprobos, qui prorsus obstinati sunt in sua malitia, merito hoc illis Propheta denuntiat, non esse sperandam veniam, quemadmodum torpent in suis figmentis, dum putant se posse impunè effugere Dei manum: Propheta falli eos docet, quia scilicet nihil Deum præterit, & non delebit vnum peccatum quin omnia veniant in memoriam. Postea adiungit, *viam Dei esse in turbine & tempestate*, hoc est, Deum simulac se ostendit, turbare totum aerem, & mouere procellas ac tempestates. hoc etiam ad præsentem causam debet aptari, quia alibi describitur nobis & amabilis & blanda Dei facies: imò quid aliud exhilarat fideles quàm Dei cōspectus? Simulatque auertit Deus faciem suam, necesse est nos demersos esse in horrendis tenebris, & circumcicca obrui horrendis terroribus. Cur ergo hæc Propheta dicit *viam Dei esse in turbine & procellis*? Nempe quia sermo ad impios dirigitur, vel Dei ipsius contemptores: sicuti Psalm. 18, videmus terribilem describi, quod scilicet nubes & caligo sunt in circuitu eius, commoueat totum orbem: deinde fulmina iaculetur huc & illuc: quod exhalet fenum naribus, quod flamma & ardore totum mundum corripit. Quorsum illa omnia? nempe quia propositum erat Dauidi celebrare Dei iudicia, quæ executus fuerat contra impios. Sic etiam hoc loco, quia Nahum disserit de futura ultione quæ tunc instabat Assyriis, ideo dicit *viam Dei esse in turbine & procella*, hoc est, ubi Deus progreditur, excitari ad eius præsentiam turbines & procellas, & totum orbem turbare. Adiungit, *Nubem esse puluerem pedum eius*. Siquis tantum pedibus moueret puluerem ad aliquod exiguum spacium, tamen gigneret aliquid pavoris: sed Deus non tantum puluerem vno in loco mouet: quid igitur? obscurat, adeoque obruit totum aerem. *Nubes ergo sunt puluis pedum eius*. Nunc tenemus totum Prophetæ consilium, & quorsum spectet ista descriptio. Sequitur in eundem sensum:

4 *Increpat mare, & arefaciet illud, hoc est, simulac mare increpauerit, arefaciet, & omnia flumina exiccat, infirmatur, vel aboletur, Basan & Carmelus & germen Libani aboletur, vel infirmatur: est idem verbum.*

Continuat Nahum eundem sermonem, quod scilicet Deus signo iracundiæ dato, mare conturbet vel arefaciat. Potest esse allusio ad historiam, quæ describitur à Mose: quæ admodum Prophetæ, ubi promittunt populo Dei auxilium, simul reuocant in memoriam quàm mirabiliter Deus Patres eduxerit ex Ægypto. Quoniam ergo celeberrimus erat apud Iudæos transitus maris rubri, potest fieri ut Propheta alluserit ad illam historiam. Sed mihi magis probatur diuersa sententia. Scimus enim quàm impetuosum sit elementum maris: & ideo etiam Ieremiæ 5, quum Deus vult potentiam suam extollere, dicit esse in suo arbitrio compescere furorem maris, quo scilicet nihil est impetuosius, vel magis violentum. Sic etiam maiestas Dei nobis describitur in libro Iob, vicesimo octauo capite. Eundem esse sensum huius loci arbitror, quod scilicet *Deus sua increpatione mare arefaciat*, deinde, *quod flumina siccare possit*. Quando Propheta mari fluuios coniungit, hinc confirmatur quod dixi, nempe non notari historiam transitus maris rubri, sed potius in genere ostendi quanta sit Dei potentia in regendo toto mundo. Eodem etiam pertinet quod addit, *Basan ipse infirmabitur, & Carmelus, & germen Libani infirmabitur, vel abolebitur*. His verbis significat nihil esse tam speciosum in mundo, quod Deus nou mutet, signo aliquo dato iræ suæ: quemadmodum Psalmo 104. dicitur, Emitte Spiritum tuum, & renouabuntur: rursum, Tolle Spiritum tuum (vel auerte) & omnia reuertentur in puluerem, imò in nihilum. Sic etiā hoc loco dicit Nahum, Simulac Deus ostenderit irā suam, flumina arefaciet,

faciet, mare ipsum siccabit: deinde, decident flores & germina, hoc est, vtcunque terra induta sit admirabili quadam specie & ornatu, tamen omnia redigentur in solitudinem & vastitatem, nempe Deo irato. Postea etiam adiungit:

5 *Montes concutientur ab eo, vel contremiscunt: quanquā notat continuum actum. sensus est igitur montes contremiscere ad nutum eius, & colles dissoluent se, hoc est, soluuntur, vel liquefiunt, & ardet terra à facie eius & orbis & omnes qui habitant in eo.*

Adhuc perstat Nahum in eodem sermone, quòd scilicet Deus vbi conscendit tribunal & apparet mundi Iudex, omnia elementa nō tantum concutiat, sed etiā cogat mutare naturā suam. Quid enim minus consentaneū quā montes cōtremiscere? deinde colles dissolui & liquefieri? Hoc magis prodigiosum est quā vt cadat sub sensus nostros. Atqui Propheta dicit mōtes nō stare in sua firmitate, nisi quatenus suffulti sunt gratia Dei. Simul ergo atque excanduerit Deus, mōtes liquefient instar niuis vel aquæ, vt diffuant. Et in hanc summam referri debent omnia, vel in hunc scopū tendunt, ne reprobi securē contemnāt minas Dei, neue putent eius indulgentia se posse pœnas, quas meriti sunt, effugere: quia Iudex ipsorum erit, vtcūque suis parcat, vtcūque paratus sit ad veniā, quoties homines sibi displicēt in suis peccatis & seridō resipiscunt, tamen erit Deus inexorabilis contra omnes reprobos & obstinatos. *Montes ergo ab eo contremiscunt: deinde, colles liquefaciunt se, vel liquefunt.* Ex his verbis colligitur vtilis doctrina, nō posse orbem stare ad momētum, nisi quatenus sustinetur gratia & bonitate Dei: nam videmus quid futurum sit, statim atque Deus signa iudicii sui profert, quum ipsa montium stabilitas futura sit instar niuis vel ceræ, quid miseris hominibus fiet, qui similes sunt vmbrae, vel spectro? Euanescent igitur statim ac Deus explicuerit iram suam contra ipsos, sicut dicitur in Psal. 39, homines in imagine transire. Ergo hæc comparatio semper tenēda est, quoties obrepit nobis obliuio Dei, ne scilicet foueamus intus eius iram nostris blanditiis, quo nihil perniciosius est. *Flagrabit igitur terra & orbis & quicunque habitant in eo.*

P R E C A T I O.

DA omnipotens Deus, quādo hic nobis quasi in speculo proponis quā formidabilis sit ira tua, vt ita humiliemur coram te & sponte nos ipsos sic deuiciamus, ne prosternamur formidabili tua potentia: da inquam, vt hac doctrina verē preparatemur ad pœnitentiam & ita supplices deprecemur quas quotidie accersimus nobis pœnas nostris sceleribus, vt interea etiam transformemur in imaginem Filii tui, & exuamus prauas nostras cupiditates & purgemur nostris vitiis, donec tandem securē appareamus in conspectum tuum, & colligamur etiam inter filios tuos, vt fruamur aeterna hæreditate regni tui celestis, quæ nobis parata est sanguine Filii tui, Amen.

6 *Coram indignatione eius quis stabit? & quis consistet in furore ira eius? Furor eius effunditur tanquam ignis, & rupes soluuntur ab eo.*

Ostendit hic Propheta quorsum proxima lectione descripserit Deum formidabilem, nempe vt homines agnoscant, vbi ventum fuerit ad eius tribunal, nō esse qui illic consistat, nisi suffultus eius gratia. De cōsilio Prophetæ fufius disseruimus, neque opus est nunc repetere eadem. Sufficit tenere hanc summam, quia hostes Ecclesiæ freti sua potentia, audacter & sine vllō modo insaniunt: hic proponi illis Dei iudicium, vt intelligant sibi reddendā esse rationem coram eo, cuius conspectum ferre non poterunt. Sed interrogatio plus habet vehementiæ, quā si simpliciter dixisset Propheta nō posse consistere coram Deo totū mundum. nam hic suscipit personam adiurantis. Postquam enim ostendit quā terribilis sit Dei maiestas, exclamat, *Quis ergo consistet coram indignatione eius? Et quis ferre poterit iram eius?* nam indignatio eius, inquit, effunditur quasi ignis. Interpretes Hebræi frustra hic laborant: quia verbum *תהום* significat Fundere, videtur illis absurda esse loquutio, quòd ira Dei fundatur tāquam ignis. hoc enim metallo potius quadraret quā igni. sed hoc effundi nihil aliud est quā dispergi longē, & latē. *Effunditur ergo ira eius tanquam ignis*, hoc est, grassatur momento, ac si ignis corripere totam syluam: quemadmodum vbi inualuit, scimus quanta sit eius violentia & quā subito huc & illuc perumpat. Cæterum si cui tamen placeat diuersus sensus, non valde repugno: ira eius, quæ similis est igni, effunditur. Alii putant Prophetam alludere ad fulgetra, quæ veluti liquefunt par aerem, saltem quo ad nostrum aspectum. sed quia de sensu Prophetæ satis conuenit, non opus est hic anxie disputare quomodo ignis fundatur: quia iam exposui Prophetam nihil aliud velle quā iram Dei sese spargere, vt statim non modò urbem vnā, sed amplissimas regiones & totum orbem occupet, & ideo igni similem esse, quia huc & illuc peruat, idque repenti. Postea adiungit, *Rupes etiam frangi, vel dissolui coram ipso.* Scimus quanta sit in nobis fragilitas. Quum nulla sit duri-

ties, quæ non liquefiat coram Deo, quomodo homines, qui diffluunt sponte inftar aquarum, possent sese illi opponere cum sua audacia? Videmus ergo hinc perstringi vāsaniam hominum, qui confisi propriis viribus nihil non tentare audent etiam aduersus Deum, quia non venit illis in mentem sua fragilitas. Hæc summa est. Nunc sequitur:

7 *Bonus Lebanon ad fortitudinem in die angustia & cognoscens sperantes in se.*

Hic melius exprimit Propheta quod vltima lectione attigimus, Deum scilicet esse durum & asperum contra homines præfractos: esse misericordem & mansuetum erga dociles & morigeros: non quodd Deus ipse naturam mutet, vel inftar Protei induat varias figuras: sed quia tractet homines pro cuiusque ingenio. Quemadmodum ergo hætenus Propheta docuit non posse iram Dei sustineri à mortalibus: ita ne quis de nimio rigore queratur, ex opposito demonstrat Deum propensum esse ad æquitatem, esse facilem & moderatum erga mansuetos: adeoque paratum esse ad ferendam opem fidelibus, neque destituere vel fraudare suo auxilio quicumque in eum sperant. Primum quum Deum pronuntiat *bonum esse*: auertit quæcunque poterant obici de seueritate nimia. nihil enim magis proprium est Deo, quam bonitas. Iam si adeo seuerus est, vt sola eius mentio perterreat totum mundum, videtur à seipso quodammodo alienus esse. Nunc igitur Propheta ostendit quicquid hætenus concionatus sit de horribili Dei iudicio, tamen hoc non pugnare cum bonitate eius. Deus ergo etiam si ita armatus sit vindicta contra hostes suos, non tamen desinit esse sui similis, neque obliuiscitur bonitatis suæ. Cæterum, Propheta hic melius confirmat Israelitas & Iudæos, quod scilicet Deus non tantum sit terribilis contra impios, sed etiā sicuti pollicitus est se fore Ecclesiæ suæ custodem, ita velit succurrere fidelibus, & in tempore leuare eorum miseras. *Bonus ergo Dominus est: postea, ad auxilium.* Hinc clarius Prophetæ consilium potest intelligi, quum dicit esse in fortitudinem in die angustia: quasi diceret: Paratus est semper Deus ad opem suis ferendam. Adiungit, *In die angustia*, ne putent fideles se ideo esse reiectos, si quando Deus eorum patientiam rebus aduersis examinet. Vtunque ergo Deus subiiciat suos cruci & multis ærumnis, tamē in ipsa angustia succurret. Postremò adiungit, *Cognoscit sperantes in se.* hoc Cognoscere nihil aliud est quam nō negligere. Deus ergo cognoscere dicitur eos qui in ipso sperant: quia semper pro ipsis excubat, & sollicitus est de eorum salute. denique Cognitio nihil aliud est quam cura Dei, vel prouidentia in seruandis fidelibus. Interim tamē discernit hic Propheta pios & synceros Dei cultores ab hypocritis: dum multos destituit Deus, qui profitentur se in ipsum credere, meritò suam gratiam ab illis subducit, quia ipsum ex animo non inuocant, nec requirunt. Nunc ergo tenemus Prophetæ consiliū: ab vna parte ostendit Deum instructum esse potentia ad hostes suos vlciscendos: iam rursum ostendit Deum esse fidum custodem Ecclesiæ suæ, sicuti promisit. Quare? proponit naturam Dei, quod bonus sit: deinde adiungit quod paratus sit ad opem ferendam. Sed nō frustra notam apponit, quod scilicet curam gerat fidelium, qui verè & ex animo in eum sperant: vt scilicet intelligant se non negligi à Deo: & interim hypocritæ agnoscant se ideo non iuari, quia mera sit simulatio quicquid profitentur. neq; enim verè in Deo sperant, vtunque falso obtendant eius nomen. Nunc sequitur:

8 *Et cum inūdatione, vel, per inundationem, transiens consumptionē faciet loco eius: & inimicos eius persequentur tenebrae, vel, persequi faciet inimicos suos à tenebris.*

Prosequitur eandē sententiam Propheta, quod scilicet facile seruabit suos Deus, quia instructus sit potentia ad superandū totum mundum. sed nunc vtrūque membrum Propheta cōplectitur. Postquā concionatus est in genere de furore Dei & de eius bonitate erga fideles, nunc accommodat suam doctrinam ad cōsolationem electi populi. Specialis igitur est applicatio hæc doctrinæ, quum dicit, *Per inundationem transiens faciet consumptionem loco eius.* Duplex est interpretatio huius versus. Quidam sic distinguūt, quod Deus velut in trāscursu consumet terrā Israel & Iudæ: sed perpetuæ tenebræ incumbēt eius hostibus. Putant ergo distinguī afflictionem electi populi à clade regni Assur, quia Deus ad tēpus duntaxat de suis pœnasumat, profanos autē & reprobos homines addicat æterno exitio. Ergo per *Transitum*, secundum illos interpretes, intelligi debet temporalis afflictio vel pœna: per *Tenebras* autem æternū exitium, vel clades irreparabiles, vt ita loquar. sed non dubito quin Propheta vno contextu hic denuntiet vltimam cladem Assyriis. Per *inundationem* ergo *in transitu faciet consumptionem loco eius*, hoc est, Deus repentē obruet Assyrios, quemadmodum si diluuium surgat quod absorbeat totam terrā. Significat Deum non sumpturum de Assyriis pœnas paulatim, sed repentē, quemadmodum aliquando homines pedetentim ad sese vlciscendos procedunt. Deus, inquit, subito fulminabit cōtra Assyrios, quemadmodum si diluuium terram aliquam absorbeat. Ergo hic transitus Dei opponitur longis vel lentis progressibus: quasi diceret, Simulatque irruerit ira Dei, vel incubuerit cōtra Assyrios, actum est, quia consumptione,

sumptio protinus sequetur. ergo per inundationem trāsiens faciet consumptionē loco eius. Per Locum intelligit solum: quasi diceret, non tantum evertet Deus superficiem terræ, sed solum ipsum perdet, atque in nihilum rediget. Hic additur pronomen fœmininum, quia loquitur de regno, vel gente, sicuti Hebræi solent. sed hoc præcipue notandū est, minari Prophetam Assyriis, quod Deus funditus ipsos evertet, non tantum diruet superficiem, quæadmodum si ignis vel diluuium absumat ædes aliquas: sed Dominus, inquit, in nihilū rediget terram ipsam, imò fundum ipsum. Addit *Et inimicos eius persequentur tenebra*. Designauerat Assyrios tantum pronomine, quemadmodum solent Hebræi. Ponunt enim relatiuum, vel demonstratiuum pronome, & tamen incertū est de quibus loquantur: sed postea sese explicant. sic etiam Propheta hoc loco, quia sermonem dirigit ad Israelitas & Iudæos, & initio præfatus est se proferre vindictam Dei contra Nineuen & illam monarchiā, ideo nunc quasi de re satis cognita loquitur. sed adiungit, *Persequentur tenebra inimicos Dei*. Hoc secundo membro significat interitum regni illius fore æternum. Sicuti ergo dixit repentiam fore cladem, quia Deus momento totam terrā perdet, ita etiam nunc spem illis abscindit, ne putent se paulò post vires posse colligere & iterum resurgere: quemadmodum reprobi semper luctantur contra Deum. Propheta ergo ostendit incurabile fore malum quod illis inferet Deus. Quidam verbum ירר trāsitiuè accipiunt, quod persequi faciet inimicos suos à tenebris. sed quia ad sensum Prophetæ parum vel nihil interest, ideo relinquo hoc in medio. nā in re ipsa nulla est ambiguitas, quod scilicet Deus subito diluuiū perdet hostes suos: deinde perdet absque vlla spe restitutionis, quia scilicet diluuiū illud subitum sequentur æternæ tenebræ. Postea adiungit:

9 *Quid cogitatis contra Iehouam? consumptionem ipse facit: nō consurget iterum afflictio.*

Hunc etiam versum quidā interpretes ita accipiunt, quasi diceret Propheta non fore cladem electi populi similem exitio, quia scilicet Deus modum & finem imponet. Scimus incredulos, quum rebus aduersis premuntur Dei filii, statim gloriari ferociter quasi actum esset de Ecclesia. Ergo secundum illos interpretes, hic Propheta occurrit & compescit talem proteruiam. Quid cogitatis contra Deum? Ipse quidem affliget Ecclesiam suam: sed nō iterabit plagas. contentus enim erit vna afflictione: & putant conferri hic regnum Iehudah cum regno Israel. Bis enim afflctum fuerat regnum Israel, quia initio abductæ fuerāt quatuor tribus, postea totum regnum fuerat euersum. Quoniam ergo clades vna inflicta fuerat à Salmanazar, altera autem à Tiglad-Pelezer, ideo putant hic tacitam fieri comparisonem, quasi diceret Propheta, Deus parcat regno Iehudah, neque iterum repetet suam vindictam, sicuti contigit regno Israel. sed sensus ille coactus est, ac nimis longè petitus. non dubito itaque quin Propheta hic sermonem suum continuet, ac denuntiet hostibus Ecclesiæ æternum interitum. Initio dicit, *Quid cogitatis contra Iehouam?* Insultat Assyriis, quia putabant negotium sibi esse duntaxat cum mortalibus: deinde cum exiguo populo & iam multis incommodis attrito. Scimus enim regnum Iehudah fuisse debilitatum multis bellis antequam illuc irrupere Assyrii. nam passi fuerāt duros & graues insultus à suis vicinis, nempe à rege Israel & à rege Syriæ. Tunc enim fœderati erant illi Assyrii. Quum ergo Assyrii venirent contra Iudæam, putabant sibi nihil fore negotii in obtinenda victoria: quoniam belabant cum populo exiguo & attrito, quemadmodum iam diximus. hic autem Propheta ostendit bellum illud esse cum Deo viuo & non cum hominibus, quemadmodum falsò putabant. *Quid ergo cogitatis contra Iehouam?* quasi diceret, Nescitis populum hunc esse sub tutela Dei & præsidio? ergo non potestis violare regnum Iehudah, quin sese Deus opponat. Quum ergo certū sit populū hunc defendi celesti patrocínio, nō est quod putetis vos fore victores. Quanquam non video cur debeat restringi sermo Prophetæ ad tribum Iehudah, quando propositum ei fuit consolari tam Israelitas quàm Iudæos. hæc autem valde utilis est doctrina, quia in genere Propheta docet impios quoties molesti sunt Ecclesiæ, non tantum inferre hominibus iniuriam, sed aggredi ipsum Deum. Hac enim lege se nobis coniungit, vt quicumque nos lædunt, tangant pupillam oculi eius, quemadmodum ipse alibi pronuntiat. Iam ergo colligimus inæstimabile solatium ex his verbis: quia possumus liberè & intrepidè opponere hunc clypeum hostibus nostris, ipsos scilicet consilia sua agitare contra Deum, & conatus etiam, atque impetus in eum conuertere, quia scilicet suscepit nos in suam custodiam hac lege, vt quoties violamur, ipse medius intercedat. hoc vnum est. Iam secundo membro adiungit, Consumptionem ipse faciet, nec altera vice consurget afflictio, hoc est, Deus poterit vos redigere in nihilum, ita vt non opus sit secundo vos aggredi. Scimus locum hunc tractum fuisse in diuersam sententiam, quod scilicet Deus non puniat bis homines, neque excedat modum in ira sua. sed illud prorsus à mente Prophetæ alienum est. Iam dixi etiam mihi non probari, quod alii hunc locum ad Ecclesiam accommodant, præsertim verò ad regnum Iehudah. Sic enim simpliciter interpretor Prophetæ verba quod Deus primo impetu, quum ita visum fuerit, poterit consumere hostes suos, vt non

opus sit iterum congregari cum ipsis: *Il n'y fandra plus retourner*, quemadmodum dicimus lingua nostra. Deus igitur consumptionem faciet, hoc est, poterit vno momento hostes suos delere & clades erit perfecta, hoc est, cōsumptio erit in solidum: *Non iterum, vel secunda afflictio*, quia actū erit de hostibus Dei: nō quod Deus æqualem semper tenorem seruet in hostibus suis vlciscendis, neque etiam hīc normam præscribit Nahum, sed simpliciter significat, vbi placuerit Deo, statim hostes eius perituros. Postea adiungit:

10 *Qui ad spinas perplexas & tanquam potatione sua ebrios*, vel & ebrios vbi inebriati fuerint. potest enim esse duplex sensus: postea, *deuorabuntur tanquam stipula ariditatis plena*, vel, quasi stipula ariditatis in plenitudine, vel arida in plenitudine.

Prosequitur eandem sententiā, quod scilicet Deus, vbi voluerit potentiam suam exercere nulla difficultate consumet hostes suos. Similitudo enim quæ hīc adiūgitur, huc spectat, nihil fore tutum à vindicta Dei. nam per spinas perplexas intelligit res difficiles tractatu. Vbi spinæ perplexæ sunt vix summis digitis audemus attingere partes extremas: quia quocumq; manus nostræ inciderint occurrēt spinæ, quæ nos pungēt. Quoniam ergo timetur punctiōnes à spinis perplexis, ideo nemo audeat ad eas accedere. Dicit ergo Propheta *ad spinas perplexas*, hoc est quauis sitis spinosi, pleni veneno, pleni rabie, pleni malitia, pleni fraudibus, pleni crudelitate, tamē Dominus vos poterit vno incendio corripere & cōsumere sine vllō negotio. Ad spinas igitur perplexas: deinde *tanquam potatione sua ebrios*. Si ita legimus, sensus erit, Deus vel ira Dei penetrabit ad vos tāquam ad homines ebrios, qui etiam si exultent in sua intemperie, tamē sunt enerues. neque enim apti sunt ad pugnam, quia fractæ sunt eorū vires nimia potatione. Videtur quidē satis esse roboris in homine ebrio, quia sese intemperanter proicit & despumat multū furorē: sed interea digito potest deiici, & puer hominis ebrii facilē erit victor. Est igitur valde apta hæc similitudo, quod Deus conficiet Assyrios sicuti solēt ebrii cōfici, quia quo plus est audaciæ in hominibus ebriis in nihilū facilius rediguntur: quia scilicet non sentiunt vllum periculum, vel saltem sunt quasi attoniti: ideo impetu suo ruunt: sic etiā nimia saturitas, inquit, erit vobis causa exitii, dum vos aggrediar. Vos quidem estis valde impetuosī, sed totus iste vester furor est plenus ebrietatis. *Perueniet*, inquit, *ad vos vindicta Dei, tanquam ad ebrios sua potatione*. Alii vertunt, Ad ebrios secundum inebriare ipsos: & sensus ille etiam est tolerabilis. sed quoniam semper manebit idem Prophetæ consilium, ego in verbis non insisto. Alii quidem trahunt Prophetæ verba in diuersum sensum: sed non dubito quin hīc derideat factum illum, quo turgebant Assyrii, ebrietati ipsum comparans: quasi diceret, vos quidem estis satis superque inflati, & ideo omnes trepidant ad robur vestrum: sed ista vestra saturitas vos potius debilitat, & eneruat vires vestras. Deus ergo quum vos consumere aggredietur tanquam ebrios, nihil proderit vobis vestra petulantia: quin potius erit causa vestri exitii, quia sponte vos offeretis, & Dominus facilē vos præcipitabit, quemadmodum si quis ebrium digito impellat, ipsum statim deiiciet. Et notandæ nobis sunt diligenter istæ similitudines, quia si nullus videtur accessus patere ad perdendos hostes nostros, Deus scintilla vna facilē ipsos vorabit. Quare? quia sicuti spinas inter se perplexas quas nemo audeat tractare, ignis consumit, ita etiam Deus vno incendio corripiet omnes reprobos, vtcunque inter se sint conglomerati. & altera etiam similitudo non exigua consolationem nobis affert, quia dum proteruiunt hostes nostri & proiciunt suas ampullas, etiam videntur tremefacere & concutere totum orbem suis minis, saturitas tamen ipsorum similis est ebrietati: nullæ sunt intus vires, quia sunt phrenetici, sed robusti non sunt: quemadmodum hoc facilē apparet in omnibus ebriis. Dicit autem, *Vorabuntur tanquam stipula ariditatis plena*: & hoc significat non modò plenum, sed etiam perfectum. Alii vertunt, *Quasi stipula plenæ ariditate*. sed eodē semper redibit sensus Prophetæ. Significat igitur nihil fore obstaculo, quominus statim deuoret Deus hostes Ecclesiæ suæ, quia scilicet exiccabit totum ipsorum vigorem, vt nihil à stipulis differat, & quidem prorsus aridis, quæ scilicet ita maturæ sunt vt facilē ignē recipiāt. Sequitur:

11 *Ex te egressus est cogitans*, vel consultans contra Iehouam malum, consultor Beliaal, hoc est, impius, vel peruersus: alii vertunt, Nihili.

Nunc ostendit Propheta cur Deus tam vehementer excanduerit contra Assyrios, quia scilicet sicuti patronus est Ecclesiæ suæ, ita velit tueri miseros, qui iniuste premuntur. Propheta ergo voluit hīc spem bonam dare Iudæis, vt agnoscerēt Deo curæ esse suam salutem. nam si tantum minatus fuisset Assyriis, & non fuisset hæc ratio expressa, quid hoc ad Iudæos? Gratum quidem ac dulce est quum videmus hostes nostros perire: sed illud frigidum est & ieiunum solatiū, nisi persuasi sumus hoc fieri iusto Dei iudicio, quia nos diligit: quia complexus amore paterno velit nos tueri. vbi autem hoc sentimus, iam triumphamus etiam in extremis malis. Sumus enim certi de salute nostra, quum Deus testatur & re ipsa etiam demonstrat

monstrat se non modò nobis esse propitium, sed sibi salutem nostram esse curare. Hoc est Prophetæ consilium, quum Nineuen compellat hoc modo, *Ex te egressus est cogitans malum contra Iehouam, consultor impius.* Magis autem emphatica est locutio, quum dicit Assyrios consultare contra Deum, quàm si dixisset consultare contra Iudæos, vel consultare contra populum electum Dei. Sed sicuti hoc dictum est de Iudæis, meminerimus ad nos spectare. Confirmat Prophetæ doctrinam illam quam nuper attigi, quorū impii nobis facessunt molestiam, bellum gerere cum Deo ipso, quorū machinantur aliquid contra nos, ruere aduersus eum. Deus enim opponit se instar clypei, & declarat se velle protegere sub ymbra alarum suarum, quicumque se eius fidei commendant. ergo si lateamus sub Dei præsidio & ad ipsum confugimus in rebus nostris aduersis, & patienter iniurias tolerando imploramus eius fidem & auxilium, quisquis in nos insurget, habebit Deum sibi hostem. Quare? consultat enim contra ipsum. & hæc ratio ostendit, quidquid hæcenus Prophetæ vaticinatus est contra Assyrios, promiscuè debere extēdi ad omnes Ecclesiæ hostes. Cur enim Deus minatus est Assyriis subitū diluuium & perpetuas tenebras? Ratio nunc subiicitur, quod consultauerant contra eum & Ecclesiam eius. Idem ergo etiam hostibus nostris continget, siquidem manemus quieti sub Dei tutela, quemadmodum dictum est. Quum autem dicit *egressum esse ab urbe illa, qui cogitat malum contra Iehouam*: hoc non debet restringi ad personam Sennacherib, sed potius commune est omnibus Assyriis: quasi diceret, Tu producis fructus quos tu comedes. nam ex te orietur causa interitus tui. Non est quod expostules cum Deo, quasi contra te crudeliter sæuiat, nam *ex te egressus est qui cogitat malum contra Iehouam*: id est, tu nunc referes mercedem tuo partu dignā. ubi enim inita sunt consilia contra Ecclesiam Dei, nisi in tuo sinu & tuis visceribus? Malum ergo quod ex te egressum est reuertetur in caput tuum. Postea adiungit, *Consultor, vel consiliarius*, עלבן יעץ. De hac voce etiam dissentiant ipsi Hebræi. Putant qui probabiliter sentiunt esse nomen compositum עלבן, Non surget: & putant notari hac voce tā res quàm homines nihili. qui verunt Absque iugo, sicuti Hieronymus, ratione prorsus carent. Propriè ergo dicitur Res Beliaal, res vana & quæ nihil habet solidi: ita etiam homo Beliaal, in quo nulla est integritas. Transfertur interea ad omnes sceleratos vel ad eorum scelera. Dicitur ergo Res vel negotium Beliaal, nefarium scelus vel crimē detestabile: homo dicitur Beliaal, qui peruersè ac sceleratè agit. & Beliaal etiam simpliciter Paulus accipit pro ipsa prauitate Satanæ & omnium improborū. opponit enim Beliaal Christo. Nunc tenemus Prophetæ consilium, quod scilicet Deus bellum denuntiet Assyriis, eò quod intulerint bellum iniustum populo suo, & consultauerint non modò contra ipsos Iudæos, sed contra Deum ipsum, quia receperat eos in suam fidem & custodiam, sicuti dictum est. Sequitur:

12 Sic dicit Iehoua, Si tranquilli fuerint, utunque fuerint multi vel potentes sic etiam tollentur, & transibit: & si afflixerim te, non affligam te amplius.

Hic Prophetæ continuat eandem sententiam: sed clarius exprimit quod poterat adhuc esse dubium, nempe quicquid virium sit in ipsis Assyriis, non posse obstare quominus penetret vindicta Dei. Sic enim dicit Iehoua, Si fuerint tranquilli & robusti etiam. Non possem absolvere: sed tantum hoc dicam: Prophetæ enim significat, etiam si Nineue promittat sibi tranquillum statum, eò quod bene munita sit & habeat latam ditionem & amplam, tamen, inquit, pax tua ista: hoc est fiducia & securitas non impedit, quominus ad te perueniat Dei manus: etiam si multi fuerint & robusti. מרבם enim possumus vertere tam Multos quàm robustos sed vterque sensus non malè conueniet præsentī loco: quia tenemus Prophetæ consilium, quod scilicet succidentur omnes aduersarii Dei, etiam si securi sint valde nempe freti suis viribus & præsidiiis. Cras reliqua.

¶ PRÆCATIO.

DA omnipotens Deus, quando hodie vides hostes tuos impotenter, imò etiam diabolica rabie fure re contra Ecclesiam tuam, ut sentiamus te eundem esse quem olim experti sumus fideles omnibus seculis, nempe tibi cura esse eorum salutem, qui verè & sincero animo te inuocant & requirunt in extrema necessitate: ut hodie quoque extendas manum tuam, & sic compeſcas furorē hunc quem vides accensum contra omnes seruos tuos & filios, ut re ipsa sentiant tandem reprobi, idque in suum exitium, sibi non fuisse bellum cum miseris mortalibus & fractis & omni præsidio nudatis sed cum tua inestimabili virtute: ut confusi, etiam si non pudeſiant, & quantumuis fremant contra te & manum tuam inuictam, tamen exemplo sint ac claro documento, te non modò fidelem esse in tuis promissis, sed etiam instructum ea virtute, qua possis exequi quicquid pollicitus es in conseruationem Ecclesiæ tuæ, donec tandem colligas nos in beatam illam quietem, quæ parata est nobis sanguine Filij tui, Amen.

Diximus heri quid sibi velit Propheta his verbis, *etiamsi tranquilli sint Assyrii & multi, tamen excisum iri protinus à Domino*. Significat enim nunquam ita munitos esse impios suis viribus, vel opibus etiam alienis, quin Dominus absque negotio possit eos perdere. Quantum ad verba spectat, quidam coniungunt particulam *et* cum eo quod dixerat. Si fuerint tranquilli: & ita vertunt, Si fuerint tranquilli atque similiter multi: hoc est, etiamsi securi sint, quia scilicet putant se esse tutos ab omni discrimine, & pariter etiam sua multitudine cōfidant, tamen tollentur. sed repetitio particulæ *et* satis trita est Hebræis: ideo sic debet resolui oratio, Quauis tranquilli sint utcunque multi, tamen hoc modò tollentur. *וְכַלְכַּלְתִּי*, hoc est, vt erunt multi, ita etiam multi perdentur. Quantum ad verbum *et* (nam alii non videntur mihi rectè deducere à *et*) ego accipio pro tollere è medio: propriè significat Hebræis remouere procul, vertunt omnes ferè interpretes, Tendentur, quanquam deberent potius, Tonderè, & vtrunque verbum, tam *et* quàm *et* significat Tondere. sed quia melius Prophetæ cōtextui, meo iudicio, alterum illud quadrat non dubito ita transferre, quòd scilicet tollentur è medio. Iam quod adiungit Propheta, *וְעָבַר*, *Et transibit*, quidam referunt ad Angelum, à quo profligatus fuit exercitus Sennacherib. alii putant notari temporalem plagam, quasi diceret fore hoc tantum in transitu. sed videtur alludere Propheta ad superiorem sententiam, vbi dicebat Deum repente perditurum Assyrios tanquam subito diluuiò & inopinato. Hic ergo sensus optimè conueniet, Assyrios utcunque & multitudine hominum & viribus polleant, tamen sublatum iri protinus è medio, quia scilicet Dominus transibit, hoc est, Dominus vno impetu eos in nihilum rediget. Sequitur deinde, *Et si, ad verbum & afflixerim te, & non affligam amplius*. Sed ita debet resolui oratio, Quauis te afflixerim, non affligam te amplius. Occurrit dubitationi Propheta, quæ poterat tenere perplexos fidelium animos. videbant enim Deum sibi hætenus fuisse infensum. ergo poterant quasi succumbere mœrori, nisi hoc fuisset additum, nempe afflictos quidem fuisse ad tempus, sed Deum, iam velle finem imponere suo rigori, quia nolit vltius eos persequi. Certum quidè est sapius deinde fuisse afflictos: sed hoc restringi debet ad Assyrios. nam scimus Prophetam nostrum propriè vaticinari contra monarchiam illam: successit deinde monarchia Babylonis: sed oportuit prius euerti Nineuën & transferri eius imperium ad Chaldæos, vt intelligerent tam Israelitæ quàm Iudæi ideo monarchiam illam euersam fuisse, quia insurrexerat contra Deum ipsum, cò quòd molestiam exhibuerat electo populo. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: postquam minatus est Assyriis, iam adiungit, sermonem conuertens ad Israelitas, *Quauis te afflixerim, non affligam amplius*: hoc est, non est quòd deiiciant animos fideles: quia seuerè antehac tractati sunt à Deo: cogitent potius temporales esse illas ferulas, & Deum ita irasci electo populo & Ecclesiæ, vt modū statuatur, quia semper oportet impleri illud, In momèto indignationis meæ percussisti te: sed prosequar te miserationibus æternis. hæc promissio semel data est Ecclesiæ, sed viget ac vigebit vsque in finem mundi. Sic videmus Prophetam obuiam ire dubitationi: ne existiment fideles prorsus sibi esse desperandum, quia experti sint Deum tam seuerum erga se. dicit enim Deum contentum esse pœnis quas sumpsit, nec velle vltà persequi populum suum. Sequitur.

Ier. 54. 8.

13 *Et nunc conteram (vel confringam) iugū eius abs te, & vincula tua dirupā.*

Confirmat proximum membrum, quòd scilicet Deus iam superseadeat à rigore. dicit enim propinquam esse liberationem electi populi, quia Deus franget ac rediget in nihilum tyrannidem illius monarchiæ. Hic versus satis ostendit non tam restrictè exponi debere sententiā proximi versus, vt faciunt interpretes. nam intelligunt hoc esse dictum de strage exercitus Sennacherib. atqui Propheta hic communiter tã Israelitas quàm Iudæos alloquitur, quemadmodū satis patet ex contextu. deinde hic versus satis confirmat non de solis Iudæis Prophetā loqui. Neque enim illi ita subacti fuerunt ab Assyriis, quemadmodū Israelitæ. Fateor quidè fuisse tributarios. nã quū fœdus pepigissent, Assyrius vbi potitus est regno Israel & regno Syriæ, tandem etiam extendit arma sua vsque ad Iudæam. Certum igitur est fuisse aliqua ex parte sub iugo: sed non fuit tam dura illa seruitus, vt possint de ea intelligi Prophetæ verba. ego igitur generaliter hoc accipio, quòd Deus liberabit à tyrānide Nineuë populū suū tam Israelitas quàm Iudæos. Siquis excipiat, Israelitas nunquā fuisse liberatos: hoc etiam verum est, sed respectu Nineuæ fuerunt tamen liberati, vbi imperium translatum fuit ad Chaldæos, & Babylō sedes facta est imperii. & iam vidimus hoc tantum esse Prophetæ nostri consilium, quauis per Assyrios Deus populum suum castigasset, non tamen oblitum fuisse fœderis sui, quia Assyrii daturi pœnas erāt. Satis est igitur quòd tam Iudæi quàm Israelitæ non amplius fuerint sub iugo Nineuæ, quantunvis passi fuerint deinde alios tyrannos. & interea hoc etiam aliqua ex parte ad Iudæos spectat, quòd iugum hostium frangendum vel conterendum dicitur: quia si hoc extendimus ad vtrosque, nempe tam ad Israelitas quàm ad Iudæos, non malè conueniet, quòd vtrique fuerint sub iugo & constricti vinculis.

Et si

Et si enim durior erat Israelis seruitus, tamen spoliati fuerant etiam Iudæi ipsi libertate sua. Conueniet igitur hoc, si generaliter accipitur de toto populo, quod dicit, *Et nunc conteram iugum eius abs te, & vincula dirumpam*. Docet autem hic versus, non ita subiectum fuisse populum hostium tyrannidi, quin semper in manu & arbitrio Dei esset eius liberatio. Vnde enim factum est ut Assyrii præualuerint contra Israelitas, & deinde subiugauerint Iudæos, nisi quia erant quasi baculus in manu Dei? sicuti docet Iesaias capite decimo: & quauis armati essent ipsi, tamen erant quoque quasi Dei arma & tela, quia sese mouere non poterant, nisi Dominus impetum eorum vertisset quocunque volebat, quemadmodum si quis iaculum vel telum vibret manu sua. Sequitur:

14 *Et mandauit super te Iehoua, Ne seminetur ex nomine tuo posthac: è domo, hoc est, è templo, deorum tuorum excidam sculptile & conflatile: ponam sepulchrum tuum, quia execrabilis es, aut, vilis factus es.*

Clarius & sine figura explicat Nahum, quod prius dixerat de tenebris, nempe regnum Nineuæ ita subuersum iri, ut nunquam vires colligat, vel emergat rursus in pristinum statum. Alloquitur quidem ipsum Regem, sed sub eius persona complectitur haud dubie statum regni, *Præcepit ergo Deus super te, inquit, ne seminetur ex nomine tuo: hoc est, Deus ita decreuit, ne superstes sit memoria nominis tui: nam Seminare ex nomine alicuius, est propagare eius famam. Quum ergo Deus sobolem aliquam prorsus exterminat è mundo, vel etiam quum gentem aliquam delet, dicitur prohibuisse ne amplius ex nomine seminetur: hoc est, ne qua fiat propagatio nominis. denique Propheta noster Assyriis denuntiat talem interitum, ex quo nunquam resurgant. Quum autem tribuit Deo tale mandatum, significat solo Dei nutu & gentes & regna propagari: ita etiam deleri & perire. nam debet extendi ad totas gentes quod de singulis hominibus dicitur. Semen vel fructus ventris, ut habetur in Psalmo, est peculiare donum Dei. Vnde enim fit ut multi liberis careant, alii autem gignant magnam sobolem & quasi populosam, nisi quia benedicit Dominus aliis, alios autem reddit steriles? Idem etiam de Gentibus sentiendum est: propagat eas Dominus, & conseruat earum memoriam. ubi autem ita visum est prorsus in nihilum redigit, ut nullum maneat residuum semen. Et quum testatur Propheta hoc esse mandatum Iehouæ, confirmat Israelitas & Iudæos, ne dubitent quin perituri sint Assyrii absque spe restitutionis: quia scilicet hoc decretum est cœlitus. Postea adiungit, *E domo vel è templo deorum tuorum excidam sculptilia*. Probabile est, quod etiam communi sententia est receptum, hunc Prophetam respicere ad Sennacherib, qui in templo idoli sui occisus est à filiis suis paulò postquam reuersus fuerat à Iudæa, quum soluta esset mirabiliter obsidio sanctæ vrbs manu Angelis. Quoniam ergo occisus illic fuerat, & templum eius cæde profanatum, libenter amplector quod omnes ferè docent, locum hunc ad eius personam referri. sed non dubium interea, quin Propheta sub persona vnius Regis describat cladem & exitiū totius regni. Tunc enim Deus palam fecit quid statuisset de imperio Nineuæ & de Assyriis omnibus. Nam inde etiam sequuta est illa mutatio, quod Nabuchodonosor trāstulit Babylonem imperium, quod detestabilis erat tota illa progenies: & qui que ad se potentiam trahebat. Quum igitur intestino dissidio fracti essent prius Assyrii, facile fuit Chaldæis illos subigere. ideo Propheta non hinc vaticinatur contra Regem vnum duntaxat, sed quia cædes illius quasi præludium fuit communis exitii, ideo illam historiam memoratu dignam recenset Propheta, quod scilicet profanabitur templum cæde Sennacherib: deinde statim transferetur monarchia ad Chaldæos. Quum dicit, *Ponam sepulchrum tuum*, cohæret hoc membrum cum superiori. unde enim factum est ut excisa fuerint idola è templo illo, nisi quia facinus illud tragicum, locum detestabilem reddidit? nemo enim non exhorruit tam fœdum crimen, quod filii patrē occiderant propria manu. Scimus quum Romæ illa superba mulier iussisset trahi Carpentum super cadauer patris sui, viam illam fuisse nefandam: sic etiam non dubium est quin templum illud pollutum fuerit regia cæde. Cōiunctim ergo hæc duo simul legi debent, quod Deus excidet idola & sculptilia è templo: deinde quod illic erit sepulchrum Sennacherib. Adiungit, *Quia execrabilis es*. nō ego reddidi Abominandum. Potest quidem hoc etiam referti ad historiam illam: sed ego seorsum accipio, quod Sennacherib sit abominabilis: neque solus ipse sed totum nomen regium, sicuti & monarchia illa Nineuæ. Neque enim quadraret, quemadmodum iam diximus, hæc omnia referre ad personam vnius Sennacherib: quia Propheta concionatur de interitu vrbs & gentis, idque in genere: quanquam hoc non obstat quominus etiam attingat quasi in transcurso personam Sennacherib. Iam simul notandum est, hinc oblique perstringi inanem fiduciam, quam locabant reges Assyrii in suis idolis, vel sculptilibus, sicuti scimus idololatrias non tantum suis viribus confidere, sed etiam partem spei suæ repositam habere in suis superstitionibus. Ostendit ergo Propheta templū esse profanandum à Deo, ita ut nihil subsidii Assyriis super sit, tam Regibus ipsis quam toti populo. Pergamus:*

15 Ecce super montes pedes annuntiantis, promulgantis pacem: Celebra Iehudah solennitates tuas, redde vota tua, quia non adiiciet posthac ad transeundum in te impius, Beliaal, in totum excisus est.

Rursus docet Propheta quicquid vaticinatus est de excidio urbis Ninevæ spectare in hunc finem, ut Deus insigni isto documento testetur se curam habere populi sui, neque immemorem esse fœderis quod pepigerat cum filiis Abrahæ. Alioqui vaticinium hoc caruisset sua efficacia apud Israelitas: putassent hoc vel accidere fortuito, vel fatali quadam revolutione, vel alia de causa, quod Ninevæ diruta fuisset. ergo Propheta ostendit interitum urbis & monarchiæ Ninevæ specimen fore paterni Dei amoris erga electum populum, & in gratiam unius populi talem mutationem factam esse: quia scilicet Deus quavis ad tempus pœnas sumpsisset de Israelitis, volebat tamen residuum illic manere aliquod semē, quia absurdum fuisset aboleri penitus eius fœdus, quod erat inuiolabile. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium, & quomodo versus hic coniungi debeat cum reliquo contextu: *Ecce, inquit, super montes pedes annuntiantis pacem.* Quidam putant Prophetam alludere ad situm Ierosolymæ. Scimus quidem montes fuisse in circuitu: sed generalius loquitur Propheta, quod scilicet præcones pacis conscenderent in cacumina montium, ut longè vox ipsorum exaudiri queat: *Ecce, inquit, super montes pedes annuntiantis pacem.* nam prius viæ ipsæ omnes occlusæ fuerant, & vix quisquam hîscere audebat. Siquis de pace vel de bello inquireret, statim erat periculum ne veniret in suspicionem. Quum ergo tyrannicè dominando Assyrii priuassent libero sermone Israelitas, iam dicit Propheta pedes annuntiantium pacem fore super montes: hoc est, iam liberum erit & integrum pacem promulgare etiam in locis editissimis. Quum dicit *Pedes*, significat aduentum quemadmodum exposuimus: sicuti etiā loquitur Iesaias, Quam pulchri sunt pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona! Ergo consurgent, inquit, ubique præcones pacis. & videtur etiam repetitio hoc melius exprimere. nam dicit *Annuntiantis & audire facientis.* Poterat simpliciter dicere *סביר*, sed adiungit *וידבר* non tantum, inquit, annuntiabit, sed etiam clara & sonora voce, ita ut ex locis remotissimis præconium istud audiri queat. Nunc tenemus quorsum spectet Propheta, & quid verba etiā valeant. Iā adiungit, *Celebra Iehudah dies tuos festos.* Est quidem repetitio, quemadmodum si posset Latine dici, Festiua festiuitates, sed ad sensum hoc nihil refert. Libenter eorum sententiæ subscribo, qui putant hîc notari interruptionem dierum festorum. nam sic dissipata erant omnia tam Ierosolymæ quàm in vicinis locis, ut cessarent sacrificia, & dies festi etiam intermissi forent: quemadmodum sacra historia docet Pascha fuisse de integro celebratum sub Ezechia, deinde sub Iosia: hoc proculdubio contigit quemadmodum fieri solet in regionibus bello vastatis. Significat igitur Propheta nunc tranquillum fore statum electi populi, ut liberè & sine metu hostium possint omnes accendere Ierosolymam, & celebrare dies festos, & gratias agere Domino, & lætari in eius conspectu: quemadmodum etiam Moses illa loquendi forma sæpe vitur. Interim tamen non dubium est quin Prophetæ admoneat Iudæos in quem finē Dominus fregerit iugum hostile, & eos exemerit à seruitute illo metu, nempe ut posthac impendant operam sacrificiis, & colāt Deū in ocio suo. Quod autem compellat Iehudah, non fit absque ratione, tametsi enim nondum Israel sic reiectus fuerat, quin adhuc censeret regnum illud Deus in populo suo: tamen nulla erant illic legitima sacrificia, nulli dies festi quos Deus probaret. Scimus enim cultum qui illic vigeat fuisse corruptum & degenerem. ergo quoniam repudiabat Deus sacrificia quæ solebant offerri in Israel, ideo sermonem hîc ad solam tribum Iehudah dirigit Nahum. sed interim significat Deum ita beneficium fuisse erga Israelitas, ut memores suæ redemptionis, gratias agerēt. Sciamus ergo quum Dominus nobis otium cōcedit, & tuetur nos in tranquillo statu, semper hunc finem esse spectandum, quod scilicet vult syncerè à nobis coli. Quod si abutimur nostro ocio, & delicia nobis inducunt Dei obliuionem, hæc ingratitude minime ferenda est. nam in extremis necessitatibus tamen Deo sacrificandū est: quia tunc maxime confugere nos oportet ad eius misericordiam. sed quia turbulentis animis non ita compositè ipsum colimus, ideo permittit nobis otium. Iam si abutimur otio nostro ad ignauiam, imò etiam tam sumus socordes ut Deum negligamus, hoc, quemadmodum iam dixi, intolerabile est. ergo notemus Prophetæ verba, ubi consilium Dei exprimit, quod scilicet liberauerit populum suum ab Assyriis, ut illic celebrarentur dies festi. Adiungit, *Redde vota tua.* Hîc non tantum loquitur de ordinariis sacrificiis & de præscripto cultu, sed exigit speciale testimonium gratitudinis, quod tunc Dei manu redempti fuerant. Scimus enim quid significet votorum redditio apud Hebræos. Solebant offerre Pacifica si victores reuersi essent è bello: si etiam erepti essent ab aliquo discrimine, vel aliqua clade leuati. ideo Propheta nunc ostendit meritò soluenda esse vota Deo, quum tam liberaliter cum populo suo egerit: sicuti habetur Psalm. 116, Quid rependam Domino pro omnibus beneficiis quæ in me contulit? calicem salutis accipiam, & nomen Domini inuocabo, Vidimus etiam apud Hoseam, Vitulos labiorū mihi persolues. Nunc tenemus quid in sum-

ma velit Nahum, nempe ubi pax reddita fuerit populo, non debere sepeliri tantum & tam insigne Dei beneficium, quin reddantur vota: hoc est, quin testetur populus Deum esse auctorem suae salutis, & redemptionem quam adeptus est, proprium esse Dei opus. Sequitur: *Non adiciet amplius ad transeundum in te Beliaal, quia in totum succisus est.* Non debet generaliter exponi hic locus, quia scimus grauiore deinde fuisse Chaldaeos Iudaeis quam fuerant prius Assyrii, sed Propheta hic Nineuitas designat: hoc est, Assyrios, quorum tunc metropolis erat Nineue, ut dictum est. *Iste ergo impius non adiciet posthac ut transeat in te. Quare? Est enim succisus in totum.* Haec causae redditio satis ostendit Prophetam non loqui de quibuslibet impiis, sed notare tantum Assyrios. Sequitur:

CAPVT III.



Scendit destructor coram facie tua, custodi munitionem, respice viam, roboralumbos, fortifica vires valde.

² *Quia abstulit, alii vertunt recidere fecit: alii quiescere fecit, lehoua fortitudinem, alii superbiam, Iacob, sicuti fortitudinem, vel superbiam: est idem nomen, Israel: quia euacuauerunt euacuantes, & palmites eorum succiderunt.*

Quum Propheta loquitur hic de vastatore, quidam referunt ad Sennacherib: quidam ad Nabuchodonosorem. & verbum etiam נָצַר diuersis modis exponitur. Metaphoricè saepe sumitur apud Hebræos pro euanescere: sicuti etiam Gallicè dicimus, *Il s'en va en fumée*: quia fumus sursum ascendit: haec est ratio metaphoræ. Eliciunt igitur hunc sensum, quod destructor ascendit coram facie electi populi, id est, palam, sic ut conspicuum fuerit Dei opus, euanuisse Assyrios, qui tamen venerant ad totam terram vastandam. Euauit ergo destructor: postea, *coram facie tua*. i. manifestè & sub oculis tuis. נִצֹּר מִצֻּר, Custodi munitionem: hoc est, quique redeant in urbem suam, & agant suas custodias ut soliti sunt, quia regio erit hominibus vacua: deinde *respice viam*: hoc est, respice qua parte venerit Sennacherib ad oppugnandam sanctam urbem: via illa iam erit libera ab hostibus: postea *retine, vel fortifica lumbos*. nam קִיף significat etiam retinere interdum. Retine igitur vel fortifica lumbos: id est ne diffugas quemadmodum prius, sed stes fortiter: quia nemo est qui te exterreat: deinde *fortifica vires valde*: id est, ne dubita quin posthac satis firmus sis ad retinendum statum tuum: quia excisa erit Monarchia illa, quæ tibi infesta fuit. Sed alii secus exponunt, quod ascenderit destructor, id est, venerit Sennacherib. & quod deinde sequitur putant ad incutiendum terrorem valere: quasi diceret Propheta, nunc dum obsessi estis agite excubias, & sitis intenti ad seruandas vestras munitiones, & roborate vias omnibus prælidiis: hoc totum nihil proderit. Quare? Deus enim sustulit superbiam Iacob, sicuti superbiam Israel. haec est secunda expositio. Alii putant Prophetam hic alloqui Assyrios & vocari ab eo Vastatorem Nabuchodonosor, à quo translatus fuit imperium; diruta Nineue, quemadmodum iam saepius dictum est. Secundum istos interpretes hic Propheta cladem denuntiat Assyriis hoc modo, Ascendit iam destructor coram facie tua. Assyrii enim poterant ludibrio habere tales minas, quum cincti essent multis prouinciis, & vrbes haberent valde munitas: Non succedet, inquit, pro vestra opinione: veniet nihilominus in conspectum tuum vastator, & nunc utunque custodias tuas munitiones, circumspectas vias: hoc est dispicias sedulo qua parte occludere possis transitum hostibus, tamen nihil proficies: fortifica lumbos ut libuerit, & adauge vires tuas: tamen hoc totum erit irritum & inane. Et si placeat hic sensus, erit confirmatio superioris doctrinæ, quod scilicet Deus iam decreuerit perdere urbem Nineuen & imperium illud quod erat tunc apud Assyrios. Non igitur malè hoc conueniet. sed si recipimus hunc sensum, postea sequetur quædam quasi correctio, quod scilicet Deus iam perdere velit Nineuen & eius monarchiam, quia humiliavit satis superque populum suum, tam regnum Iehudah quam decem Tribus. Non possem vltra prosequi.

P R E C A T I O.

DA omnipotens Deus, quando quotidie ferulis tuis verberamur, ut sentiamus te iuste de nobis poenas sumere, atque ita examinemus totam vitam nostram, ut cum vera & ingenua confessione supplices confugiamus ad tuam misericordiam, quæ nobis per Euangelium tuum offertur in Christo Domino nostro: deinde etiam quum simul tot beneficiis nos prosequaris, ne simus ingrati, & ne quando nobis obrepat obliuio gratiæ tuæ, sed nos præcipue tota vita exerceamus in cultu nominis tui & gratiarum actione, & sic tibi offeramus linguis laudis sacrificia, ut tota vita nostra respondeat: & sic glorificemus nomen tuum in terra ut tandem colligamur in regnum tuum cæleste, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Diximus heri quosdam interpretes versum hunc ubi dicit Propheta, *Ascendit de-*
P. iij.

structor coram facie tua, custodi munitionem, referre ad Sennacherib, quod scilicet Deus illum abstulerit atque euanescere fecerit instar fumi. Diximus etiam alios elicere diuersum sensum, quod Sennacherib ascenderit in Iudæam & terrore impleuerit totam regionem: imò etiam tadem vastauerit. sed potius inclino in eorū sententiam, qui dictū hoc putant de Nabuchodonosore, qui destructor ascendit cōtra Nineuē. Fuit igitur Nabuchodonosor vastator Nineuæ, quia diuinitus excitatus fuerat ut euerteret tyranidem illius vr̄bis. ideo Prophe-
ta ridet conatus omnes & apparatus quos opponent Nineuitæ, quemadmodum fieri solet vbi inuaditur regio aliqua. Dicit igitur, *Custodi munitionem, respice viam, & fortifica lumbos, & robor a fortitudinem tuam valde*. Sunt autem ironica locutiones: quasi diceret, quicquid machinētur Nineuitæ, ut se defendant contra hostium impetum, tamen hoc totum irritum fore. Iam quod subiicitur, per occupationem additum fuisse interpretor, quod scilicet *Deus abstulerit superbiam Iacob, sicuti superbiam Israel*. Alii vertunt, Redire fecit Deus, vel quiescere. & *IN* accipiunt in bonam partem pro fortitudine vel gloria. Secundum illos, sensus esset, quod Deus profligato exercitu Sennacherib, vel Assyriis deletis, redire faciet pristinam gloriam populi sui: quia vtrunque regnum collapsum erat. Intelligunt igitur hoc dictum esse de restitutione totius populi, & qui vertunt Quiescere fecit, putant promitti diuturnam pacem tam Israelitis quā Iudæis. Mihi autē potius videtur Propheta ostendere maturū esse tēpus exitio vr̄bis Nineuæ: quia scilicet Deus humiliauerit populum suum. *Abstulit ergo superbiam Iacob, sicuti superbiam Israel*: id est, postquam Deus correxit superbiam Israelis, adhibuit etiam simile remedium regno Iehudah: sic totus populus humiliatus est, atque oblitus illius nimie suæ altitudinis, nam *IN* ut plurimum accipitur in malam partem pro fastu vel superbia. hæc igitur ratio est cur nunc Deus pronuntiet propinquum esse interitum Nineuitis, quia iā satis & super subacti sunt Iudæi & Israelitæ atque hic sensus optimè fluit. deinde etiam secundum membrum eodem spectat, quod *euacuantes euacuauerint*: id est, prædones ipsos exinanierint, & nihil fecerint illis residuum. Respondet hic locus sententiæ Iesaiæ, vbi compleuerit Dominus opus suum totum in monte Sion & Ierusalem, tunc etiam conuertet vindictam suam contra Assyrios. cur enim citius non fuerunt deleti? nempe quia volebat eorum opera uti Dominus ad castigandos Iudæos. Donec ergo impletum fuit totum opus Dei: hoc est, donec ita correxit populi sui superbiam ut penitus deiectus esset, noluit perdere Nineuitas: sed tandem etiā tracti sunt illi in suū exitiū. Hoc idem nunc docet Propheta noster, nempe Nabuchodonosorem venturum esse ad Nineuen diruendam, vbi Dominus abstulerit fastum populi sui. Quod sequitur, *Et perdidērunt propagines*, vel palmites eorum, metaphoricè accipio, quod radicitus euulsi fuerint Israelitæ, quo ad externam speciem. Oportuit enim ipsos coram oculis hostium in nihilum redigi, & radices etiam ipsas reuelli, ut sentirent se nihil esse. Dominus quidem semper seruauit occultas reliquias: sed hoc factum fuit præter hominum sensum. Hoc autem ad superficiem refert Propheta quod metaphoricè dicit de perditis palmitibus. Sequitur,

Ies. 10. 12.

3 *Clypeus fortium eius rubefactus est, viri potentia eius vermiculati*, hoc est, rubro etiam colore, *in igne lampadum*, vel tædarum, *currus in die expeditionis eius, & abietes tremefacta sunt*.

Describit Propheta quā formidabiles futuri sint Chaldæi, vbi sese accingent aduersus Assyrios. Dicit, *Clypeus fortium eius rubefactus est*. Quidam existimant tunc depictos fuisse rubro colore clypeos ne sanguis nimis esset conspicuus: indutos etiam fuisse milites vestibus coccineis, ut si essent vulnerati, hoc non incuteret illis terrorem. Et de Lacedæmoniis hoc testantur historię. Cæterum, quia nobis Gentium illarum mores non aded sunt cogniti, sufficiat hoc tenere, describi apparatus bellicum, quasi diceret, venturos Chaldæos contra Nineuen cum violento impetu & terribili. Dicit ergo *viros roboris eius fore coccineos*. Non dubium est quin ad colorem vestium respiciat. Alii qui hoc exponunt de Assyriis, dicunt notari pudorem. sed illud est nimis coactum. non dubito igitur quin Propheta hīc de pingat Chaldæos, & ostendat sic fore instructos, ut solo aspectu hostes suos profligent, nempe Assyrios. Eadem ratione continuò post addit, *In igne tædarum*, vel lampadum *currus in die expeditionis eius*, hoc est in die quo se parabunt. Nomen hoc *לפידות* non alibi occurrit: ideo Iudæi putāt inuersas esse literas, & *לפידות* positum esse pro *לפירות* quemadmodum statim hoc nomen ponetur à Propheta, & eodem sensu. Certè ex contextu colligere promptum est, hīc vel tædas vel lampades intelligi à Propheta. Currus ergo eius in igne lampadum, id est, currus tam præcipiti impetu ferentur, ut quasi flammæ igneæ appareant quum rotæ tam celeriter voluētur. *Et abietes*, inquit, *tremefacta sunt*. Alii vertunt, Inebriatæ sunt, vel sopitæ: & hoc referunt ad Assyrios, quod scilicet magnates ipsorum (quos putabant hīc conferri abietibus, vel metaphoricè per abietes notari) fuerint obstupescit. Obstupescient igitur qui præcipui sunt apud Assyrios, quia solus conspectus eos quasi exanimis reddet. nam *דעל* qui-

quidam accipiunt pro Veneno inficere, vel obstupefacere. sed rectius sentiunt qui per abietes putant notari lanceas. quanquam non satis exprimunt sensum Prophetæ. neque enim dubito, quin hoc simpliciter velit talem concussionem fore in lanceis, acsi abietes in syluis tremescerent. Nam scimus lanceas confici ex abietibus, quia lignum illud leue est, & magis agile, quemadmodum si lingua nostra quis diceret, *les lances branslent*. Tremescient igitur lanceæ, id est, concutientur, acsi tremere abietes inter manus militum. Ita videmus continua serie hic Prophetam describere terribilem apparatus in Chaldæis. Pergamus.

4 *In compitis insanient, per currus*, est hic nomen singulare, currus: ideo quidam subaudiunt viros currus. sed possumus aliter intelligere, quod insanient in suis curribus: deinde *properabunt in plateis*, alii vertunt, congregabuntur: potest deduci tam à קָוָו, quam à קָוָו. sed hic significat properare, *aspectus eorum quasi lampades*, hoc est, lampadum, *quasi fulgura discurrent*.

Prosequitur adhuc eandem sententiam, quod scilicet insanient per compita, hoc est, tumultuabuntur, acsi alienati essent mente, quemadmodum solent furiosi homines, qui impetu suo absque ratione aut modo feruntur: ita etiam insanient in suo tumultu. Deinde, *properabunt*, inquit. Deductum est verbum à coxis. nam qui festinat, ille vibrat coxas, vel agitat repentino impetu: sic etiam coxabunt, si liceat verbū fingere, *Ils remueront les hanches*. Hoc voluit Prophetæ. deinde, *Aspectus eorum quasi lampades*. Refertur hoc ad quadrigas. Erunt igitur similes lampadibus, hoc est, perstringent oculos spectantium suo fulgore. Omnia hæc pertinent ad exprimendum terrorem. Deinde *quasi fulgura*, inquit, discurrent huc & il- luc. Denique significat tam violentum fore impetum in Chaldæis, ut superent consuetudinem hominum: quia potius erit quædam insania & rabies diuinitus immissa. Sic ergo similes erunt & fulguri & flammis, ut excedant omnem humanum morem. Cæterum, loquutiones istæ etsi sunt hyperbolicæ, non tamen ratione carent: quia facile nobis est coniectere quanta fuerit tunc securitas vrbis Nineuæ: deinde quàm fuerit clades ista incredibilis. Tunc enim eminebat Monarchia illa in toto mundo, & nemo putasset posse vnquam attingi. Quum ergo difficile esset persuadere Iudæis, instare tale Assyriis exitium, oportuit Prophetam hic congerere varias loquendi formas, quibus exprimeret Dei potentiam in perdendis Assyriis. Postea sequitur:

5 *Recordabitur fortium suorum, impingent in itinere suo*, vel itineribus suis, si legamus plurali numero, *festinabunt ad murum eius, parabitur integumentum*.

Hoc etiam quidam interpretes exponunt de Chaldæis. Rex ergo Babylonis recordabitur fortium suorum, id est, recenset vires suas, & quidquid erit roboris in sua ditione, hoc totum colliget, ut oppugnet Nineuen & Assyrios. Alii putant esse hypallagen, quæ tamen esset nimis coacta, Fortes recordabuntur: quasi esset heterosis numeri, si ita placeat. Ego autem simpliciter accipio verba Prophetæ ut sonant, quod recordabitur fortium. sed hoc pertinet meo iudicio, ad Assyrios: Recordabitur ergo vel Rex Nineuæ, vel populus ipse recordabitur fortium suorum, id est, contrahet vndique sua præsidia, nihil omittet quod valeat ad defensionem queat: sicuti fieri solet in magno discrimine, & rebus extremis. nam notatur viri bellicosi tunc: & quisquis pollet aliqua peritia, deinde quisquis est præditus fortitudine, quisquis est exercitatus in armis, illi trahuntur, ut ferant suppetias. Sic ergo Prophetæ etiam dicit talem fore pauorem in terra Assur, ut contrahant quicquid erit virium quod se defendant contra hostes. Rex ergo *fortium suorum recordabitur*, id est, opponet quæcunque illic erunt subsidia, Deinde, *impingent in itinere suo*, hoc est, fortes illi, ubi collecti fuerint, trepidabunt, & cæcorum more impingent. Hoc enim faciet metus, ut quasi attoniti huc & il- luc vacillent, neque habeant certos gradus. Duo igitur hic Prophetæ significat, nempe Assyrios fore satis sedulos ad contrahendas suas vires, quas opponant hostibus suis ad repellendum impetum: sed tamen nihil profecturos: quia scilicet trepidatio ita omnium animos occupabit, ut fortes impingant in suis itineribus. *impingent* igitur, deinde *festinabunt ad murum eius*, hoc est, cōfendent murum: postea, *parabitur integumentum*, sicuti fieri solet in oppugnatione vrbium. Hoc alii ad Chaldæos referunt: parabitur integumentum, quum ad murum accedent. Solebant enim vel turriculis, vel craticulis se munire quum accederent ad muros, sicuti satis notum est ex historiis. sed non dubito, quin Prophetæ hic significet Assyrios, cum magna trepidatione venturos in occursum hostium, sed sine profectu. Vbi ergo ita se volent defendere, præualebunt nihilominus hostes: ideo subiicit.

6 *Portæ fluuiorum aperta sunt, & palatium solutum est*.

Hic per portas fluuiorum intelligit Prophetæ partem illam vrbis, quæ videri poterat munitior propter Tigrim. Vrbs enim illa alluebatur Tigri, vel Tigride. Quum ergo Tigris

esset instar optimi munimenti (sicuti scimus rapidissimum fuisse fluvium) Propheta deridet confidentiam Ninevæ, quod existimet posse hostes ab accessu prohiberi parte illa, qua fluebat Tigris. *Portæ ergo fluviorum apertæ sunt*, hoc est fluvius vester non impedit, quominus hostes vestri perrumpant, & penetrent in urbem vestram. Videmus itaque Prophetam hinc tollere omnia impedimenta, quæ videri poterant valere ad hostes arcendos: idque facit non tam respectu Ninevæ, quàm electi populi, ut agnoscant Israelitæ & Iudæi urbem illam non minus esse in Dei manu, quàm alias: quia Deus penetret non minus facilè per fluvios, quàm ingrediatur per planitiem, ubi nullum est obstaculum. Videmus nunc cur dicat Propheta portas fluviorum apertas esse: deinde *Palatium esse solutum*, id est nullum erit obstaculum, quod hostibus accessum præcludat. Solventur enim omnes munitiones, hoc est, sponte diffluent quasi essent muri papyracei vel quasi lapides flucrent instar aquæ. Postea adiungit,

7 *Et quæ stabat solida, vel firma, eiecta est in exilium, vel quæ stabat occulta patefacta est, iussa est ascendere & ancilla eius ducentes tanquam in voce columbarum, plangentes super pectora sua.*

Est aliqua in verbis ambiguitas, ideo multi interpretes putant *מלכה* esse nomen Reginæ. Regina ergo nomine *מלכה*, inquit, in exilium tracta est, iussa est ascendere, ut migraret in terram hostilem. Sed hoc nimis coactum est, neque etiam fuit vlla ratio cur putarent nomen esse proprium, nisi quia volebant aliquid dicere, & non erat coniectura magis probabilis. sed rectius, meo iudicio, sentiunt, qui referunt hoc ad statum regni. nec dubito quin hic sit prosopopœia, si tamen sequimur sensum illum. Si quis malit de regina accipere, tamen præstabit *מלכה* accipere in proprio & genuino sensu, quod scilicet Regina, quæ prius latebat in suo palatio, & quæ vix præ deliciis poterat mouere gradum, quod illa producta fuerit in lucem, si *גלה* significat reterege & significat eiicere. Si vertimus patefacta est, alludet Propheta ad latebras, quod scilicet Regina nō prodierit ad solē, sicuti mulieres delicatæ continent se in suis cubiculis: si autem vertamus. *Quæ tracta est in exilium*, conueniet etiam optimè, quæ prius erat fixa in sua fede: à *מלכה* quod significat stare: hic autem *מלכה* est in cōiugatione Hophal. Significat igitur, quæ prius erat stabilis & firma, nempe in suo cubiculo, illa inquit, tracta est in exiliū. Si ergo hoc ad personā Reginæ referre quis velit, conueniet optimè sensus, quod Regina, quæ prius in deliciis suis se debat, trahetur vno impetu in exiliū, & transferetur aliō. Et ideo probabile est Prophetam de Regina loqui, quoniam continuò post sequitur, *Ancilla eius, ducentes tanquam in voce columbarum. & plangentes etiam*, hoc est, ancillæ quæ prius blandiebantur, plangent, & cum gemitu, cum lachrymis, & cum clamore deducunt dominam suam captiuam. Fluet hoc modo contextus: sed, quemadmodum iam dixi, rectè sentiunt, qui sub persona mulieris existimant describi hinc statum regni. Quæ ergo prius stabat, illa trahetur in captiuitatem: vel quæ prius sedebat in otio, illa patefiet, hoc est, non amplius delitescet in suo umbraculo, sicuti hactenus fecit, sed cogetur prodire in medium. Denique *ascendet*, hoc est, euanesceat. nam hic metaphoricè accipitur hoc verbum. *Euanesceat* igitur, id est, in nihilum redigetur. Et quoniam Propheta hinc depingit nobis formam mulieris, non malè etiam quadrat quod sequitur, Ancillæ eius plangent, & colūbas imitabuntur in suo gemitu, quod scilicet totus populus deflebit sortè regni, ubi res ita fuerint cōuersæ, quasi ancillæ deducerent suam dominam, quæ prius fuisset nutrita in summis deliciis. Hæc autem verborum congeries minimè superuacua est: quia oportuit multis verbis confirmari Israelitas, & Iudæos de propinquo interitu urbis Ninevæ, qui alioqui prorsus fuisset incredibilis. Et hoc poterimus facilè æstimare ex nostra experientia. Si quis hodie loquatur de magnis Regibus, quorum splendor obstupefacit totum mundum: si quis prædicat cladem vnus regni, hoc videbitur esse fabulosum. Hæc ratio est igitur cur Propheta rem vnā, quæ poterat simpliciter exprimi, tot figuris illustret & confirmet tam multis locutionibus, atque etiam hyperbolicis. Tandem subiicit:

8 *Atqui Nineveh quasi piscina aquarum à diebus, hoc est, à longo tempore, fuit: ipsi autem fugiunt: state, state, & nemo respicit.*

Hic Propheta etiam dubitationem anticipat, quæ fidem abrogasset eius dictis. nam Nineue non modò florebat potentia, sed etiam vires suas stabilierat longo temporis successu. Antiquitas autem non modò robur acquirit regnis, sed conciliat authoritatem. Quoniam ergo tam vetustum erat imperium urbis Ninevæ, potuit etiam videri æternum: quid? Nineue semper dominata est, & obtinuit summum imperium in toto Oriente. an nunc poterit concuti, imò repentè euerti eius firmitas? Vbi enim non est initium, etiam neque finis fore creditur. Initium autem non erat, quo ad vulgi opinionem. nam scimus ut fabulati sint Ægyptii de sua antiquitate. Finxerunt se iam regno fuisse potitos quinque millibus annorum ante creatum mundum. Nam quum numerant sua secula, superant creationem mundi ferè quin-

quinque annorum millibus. Non dubium est igitur, quin etiam Nineuitæ gloriati fuerint se esse æternos. quum ergo fundati essent in illa opinione vetustatis, nemo putasset illos vnquā posse labefactari. Hæc ratio est cur Propheta disertè exprimat *Nineuen esse quasi piscinam aquarum à diebus*: hoc est, Nineue fuit quasi separata à reliquo mundo: quemadmodū si qua sit piscina, videtur suis ripis bene munita esse: nemo illuc accedet: si quis ambulet super terram, non tamen ingreditur aquas. Sic ergo fuit Nineue tranquilla, & non exiguo tantum tempore, sed à multis seculis: hoc tamen non impedit, quominus Deus nunc tyrannidem eius euertat. Vtunque ergo Nineue superbiat prætextu suæ vetustatis, Deus tamen vult eā delere. Postea, *ipsi*, inquit, *fugiant*: quum dicit fugere, intelligit etiam si non cædantur ab hostibus, tamen vincendos esse proprio metu. Significat ergo non modò strage perituram Nineuen, sed quia sponte diffugient omnes Assyrii, & desperatio illos tradet suis hostibus. Ergo non tantum fortitudine & gladio victores erunt Chaldæi, sed quoniam Assyrii diffusi suis viribus fugient. Postea sequitur, *State, state, & nemo respicit*, inquit. Hic Propheta quasi ante oculos ponit illam formidinem, de qua loquutus est. Poterat narrare simplicius, etiā si quis eos reuocet, non audebunt tamen respicere post tergum: sed quia non putabunt alibi salutem sibi esse positam quā in fuga, pergent in cōtinuo cursu: poterat hoc modo narrationem suam texere Propheta: sed hic suscipit personam reuocantis, quasi iam esset qui eos fugitare cernens, retrahere tentaret: Nemo, inquit, aspicit. Iam videmus quid Propheta voluerit. sed ex hoc loco discendum est, neque multitudine hominum, neque etiam urbium præditiis & munitionibus, neque vetustate fidendum esse: quia si viribus polleant homines, Deus sumet hinc materiam ad illos perdendos, quod scilicet semper ferè coniuncta est superbia cum viribus. Vix fieri potest, quin homines sibi plus nimio arrogent, quū putent se aliquid valere: ita fit, vt suis viribus ruant: nō quod Deus sese oblectet, quemadmodum fingunt profani homines quum faciem terræ inuertit, sed quia homines nō possunt ferre suam fortunam: neque enim sese continent in modestia, sed furiosè insultant contra Deum: ideo vt plurimum vires humanæ recidunt in eorum capita, penes quos erant. Idem etiam de vetustate dicendum est: quia qui iactant suam antiquitatem, non agnoscunt quandiu iam cœperint prouocare iram Dei. neque enim fieri aliter potest, quin opulentia pariat ex se licentiam peccandi: saltem quin trahat luxuriam. Deinde etiam qui plus polleant, sunt audaciores ad violandos alios. Quo igitur plus est vetustatis in mundo, eò plus est putredinis: quia similes sunt homines mortuis, quando non reguntur timore Dei. Cadauer autem magis ac magis foetet dum computruit: sic etiam dum pridem cœperunt homines peccare, nec desinunt, augetur foetor scelerum: & prouocatur magis ac magis ira Dei. Non est igitur cur vetustas nos decipiat, & si quando putamus vel propriis viribus homines satis esse munitos, vel copiis omnibus, vel etiam sua vetustate esse quasi sacrosanctos, veniat nobis in mentem quod hic dicitur, Nineuen fuisse quasi piscinam aquarum à diebus antiquis: sed tamen ubi iam addicti sunt exitio, sponte fugere: etiam si ipsos adeò non urgeant hostes, tamen sese proprio metu damnare nec posse consistere, etiam si quis ipsos reuocet.

¶ PRECATIO.

DA omnipotens Deus, quando & verbo tuo assidue nos mones, & tot etiam exemplis docuisti nihil esse in mundo stabile, sed quæ videntur esse firmissima tendere in ruinam, & statim etiam concidere, & sponte euanescere ubi flatu tuo discutis fortitudinem, qua homines confidunt: da inquam, vt verè deiectioni & humiliati non recumbamus in rebus terrenis, sed tollamus animos & sensus nostros in calum, & illic figamus anchoram spei nostræ, & illic resideant omnes nostri sensus, donec tandem, ubi nos traduxeris per terram, colligamur in regnum illud celeste, quod nobis partum est sanguine vniuersi Filij tui, Amen.

9 Diripite argentum, diripite aurum, & non finis, quia non est, copula debet resolui in causalem particulam: quia nullus finis preparationis eius, sic vertunt: sed proprie מְנַחֵם significat locum, gloria ex omni vase desiderabili.

Hic Propheta quasi ex Dei mandato & autoritate permittit Nineuen hostium libidini, vt eam diripiant ac prædentur. Alii existimant sermonem hunc proponi sub persona ducis, qui milites hortetur. sed scimus Prophetas suscipere Dei personam quum ita pro imperio aliquid mandant. Et hoc valde emphaticum est, vt sciamus Prophetas non fundere inanem sonitum ubi loquuntur, sed efficaciter testari quod Deus ipse decreuit, & suo tempore exequetur. Quoniam ergo scimus hanc loquendi formam satis tritam esse Prophetis, non est cur transferamus hoc ad personam Nabuchodonosoris, vel alterius cuiuspiam. Deus ergo hic ostendit Nineuen addictam esse exitio: & ideo tradit ipsam in manum hostium. Certum quidem est, Babylonios quum tunc prædati sunt, non paruissse Dei mandato, sed interea verum quoque est arcano Dei impulsu pœnam sumpsisse de Assyriis, quia tunc voluit viciisci Deus crudelitatem & auaritiam, qua Nineuitæ diu præditi fuerant: præsertim

quia exercuerant maximam sæuitiam contra Iudæos. Hæc ratio est cur Dominus nunc eos adiudicet Babylonis, & exponat in prædā. sed quia de arcanis Dei iudiciis alibi fufius differui, tantum nunc breuiter hoc attingo, quod Deus non præcipiat Babylonis & Chaldæis, ac si excusabiles ipsi essent: sed ostendit per Prophetam suum, quod Nineue diripitur ab hostibus hoc non fieri fortuito, sed quia Deus vult vlcisci iniurias populo suo illatas. Interim memoria tenendum est quod alibi diximus, Prophetas scilicet ita loqui, ut executio parata sit, quia Deus non frustra, neque abs re terret homines, sed postea declarat ipso effectu, quem admodum mundum creauit ex nihilo per Verbum, ita etiam eodem Verbo exerere ac proferre in medium sua iudicia. Non ergo mirum est quod hic Propheta, quasi suo arbitrio regeret Chaldæos, sic ipsos alloquitur, *Diripite, diripite*. Sed hoc referri debet ad fideles: quia Babylonii quum diriperent urbem Nineuen, non putabant se Deo obsequi, neque etiam tribuebant Deo laudem suæ victoriæ: sed fideles tunc fuerunt admoniti, hoc totum fieri arcana Dei prouidentia, & interim clarum hoc esse & quasi visibile testimonium paterni Dei amoris erga Ecclesiam suam, quod ita dignatus esset suscipere causam afflictæ populi. Quod postea sequitur, *non est finis preparationis*, תכונה alii vertunt Thesaurū, vel opes reconditas: & deducunt à verbo תכין, quod est parare. sed תכונה ferè semper accipitur pro loco: תכונת, à תכן significat summam. nam תכן est munerare: & melius hoc quadraret. Cæterum, non est cur de hac voce multum laboremus, quia si simpliciter accipimus pro loco, sensus erit, non posse inueniri fundum in illa vrbe, quæ fuerat quasi inexplebilis gurgis. nam assumpserat omnes gentium copias: & hic sensus non malè congruet argumento Prophetæ, quod scilicet milites possint ad saturitatem usque prædari, quia locus ille sit quasi profundus gurgis. Postea adiungit, *gloria ex omni vase desiderabili*. Qui putant esse particulam comparisonis. longè falluntur & corrumpunt sensum Prophetæ: vertunt, Præ omni vase desiderabili, sed hoc, ut satis omnes vident, nimis est frigidum. Ego itaque non dubito quin Propheta dicat opulentiam Nineuæ esse ex omni vase desiderabili: quia scilicet congescerant longo tempore multas diuitias, & quidem omnis generis. nam rem desiderii Hebræi nominant pretiosam: & vasa etiam illis sunt quæ comprehendimus sub nomine supellectilis. Tenemus ergo nunc quid velit Propheta. Alii כבוד accipiunt quasi participium. Vertunt enim, Onustus est omni vase desiderabili, vel ornatus. significat enim utrumque. sed simplicior illa est loquendi ratio, quod gloria sit ex omni vase desiderabili, quemadmodum iam exposuimus. Hic verò Propheta perstringit quid profecerint Assyrii tam multas opes vndique congerendo. nam rapuerant sine vlllo discrimine, & contraxerant ad se omnes gentium copias. Expilauerant enim omnes vicinos, imò prorsus excoriauerant. Iam Propheta per ludibrium ostendit opulentos fore alios prædones, quos Dominus excitabit, quemadmodum dicitur apud Iesaiam, O tu prædator, nonne etiā prædæ vicissim expositus eris? Ita & hoc loco ostendit Propheta stultè homines tantopere ardere auaritia, & tam anxie vndique congerere multas diuitias, quia Deus reperiet qui vicissim prædentur eos qui prædati sunt. Sequitur:

Ies 49. 1.

10 *Exinanita, & exinanita est, & nudata, & cor liquefactum, & colliso genuum, & terror in omnibus lumbis: & facies omnium contraxerunt nigredinem, vel splendorem, ut alii vertunt.*

Hic Propheta confirmat proximam sententiā. Ostendit enim quorsum vocauerit Chaldæos ad rapiendam prædā, quia scilicet ita futurum erat. neque enim (sicuti iam dixi) præcipit Chaldæis, ac si hoc posset ascribi laudi, quod paruerint Deo: sed hic Propheta de arcano Dei consilio tantum tractat. Quauis ergo Chaldæi nescirent hoc fuisse à Deo statutū, hic Propheta admonet fideles, Nineuitas, quum ita nudati fuerint, pœnas duros suæ seuitiæ, præsertim quoniam ita hostiliter se gesserant contra Iudæos: & ideo pronuntiat *exinanitam, exinanitam esse, & nudatam Nineuen*. Quum repetit idem participium, significat certitudinem rei: *exinanita est, exinanita*, inquit: quemadmodum si quis diceret lingua nostra *uidee & reuidee*. Videmus ergo hac repetitione certius exprimi quid Propheta voluerit, ne fideles ambigerent de euentu. Et postea adiungit, *nudatam esse*, eodem sensu. nunc ergo tenemus Prophetæ consilium: sicuti proximo versu ostendit sibi datam esse diuinitus potestatem, qua exercitus mittat contra Nineuen, deinde illis urbem tradat, permittat eam in prædā & direptionem: ita nunc ostendit se non ita præcipere Chaldæis, ac si essent legiti mi Dei serui, & possent obicere se obsequium præstitisse Deo. Demonstrat igitur in quem finem præceperit Chaldæis ut Nineuen diriperent, quia scilicet hoc statuerat Deus: & ideo præceperat quia nolebat pati inultas iniurias populi sui quem sub fide sua tuebatur. Quoniā ergo Nineue ita crudeliter tractauerat electum Dei populum, oportuit etiam mercedem rependi, quæ digna erat. Cæterum, repetitio illa de qua dixi, notanda est, ut sciamus coniunctam esse Dei virtutem cum verbo eius, ita ut nihil temerè vel frustra prædicat. Iam quum dicit *genua inter se consligere, & omne cor dissolui*, vel liquefieri: deinde *lumbos omnes terreri*, hinc collig-

colligimus nihil esse in hominibus fortitudinis, nisi quatenus suppeditat illis Deus vigorē. Simul ergo ac Spiritum suum Deus subduxit, qui antē erant robustissimi, diffuunt: qui etiā spirabant magnam ferociam, illi redduntur molles & effœminati. nam per nomen Cordis intelligitur interior audacia vel magnanimitas: per Genua & lumbos, intelligitur robur corporis. Non dubium autem est quin Assyrii quum dominabantur, valde animosi fuerint: sicuti semper audaciam parit potentia: deinde probabile est fuisse bellicosum populum, quū sub eius potestate venissent omnes vicini. Atqui ostendit Propheta nihil vigoris fore in omniū cordibus, nihil etiā viriū in lumbis, vel in toto corpore, *Cor ergo liquefactum est*, inquit, atque hinc colligimus quā stultē superbiant homines animosi, dū similes sunt leonibus: quia momento poterit Deus eorum corda sic liquefacere, vt nihil habeant prorsus solidi. Iam quod ad externum vigorē pertinet, videmus ipsum quoque esse in manu Dei: *Erit inquit, confractio*, vel genua sese mutuō collident, quemadmodum fieri solet in trepidatione. Tandem dicit, *Et tremor erit in omnibus lumbis*. Postremō adiungit, *Et facies omnium contrahent nigredinem*. Nomen פִּנְיָוֹת quidam deducunt à פָּנִים, & ita sensus erit, omnes facies contrahere, vel retrahere suam pulchritudinem, sicuti etiam ita exponunt Ioelis cap. 2. nam eadem sententia illic habetur, sed qui sensum illum improbant, dicunt verbum פָּנִיָּם non posse aliter accipi quā pro retrahere, vel subducere. Sic ergo vertunt, nigredinē. sed hæc expositio coacta est. פִּנְיָוֹת non significat colorē nigrum: sed ollam. Si ergo lebes vel cacabus nigredinem contraxerit ex fuligine, tunc vocatur פִּנְיָוֹת. sed hoc loco coguntur interpretes metaphoricē accipere pro colore ipso, quod, sicuti iam dixi, coactum est, ac remotum. Ego igitur libenter subscribo eorum sententiā, qui dicunt omnium facies contrahere suam pulchritudinem, vel suum splendorem. sed quia ad summā rei vel nihil vel parū refert, ideo sit libera cuique electio. Quantum ad Prophetā mentem pertinet, significat vultus omnium fore tristes, quia scilicet Dominus eorum animos & sensus replebit terrore. Contractio igitur pulchritudinis significat externum signum tristitiæ, vel pallorem, vel quæ alioqui apparent in hominis vultu, quum deiectus est aliquo mœrore. In summa, intelligit Propheta etiam si cristas hæcenus erexerint Assyrii, deinde spirauerint magnas iactantias, atque etiam insolenter se gesserint, fore tamen deiectos, quia Dominus prosternet animos ipsorum, & vires liquefaciet: deinde coget etiam ad pudorem, vbi prostrauerit altos illos spiritus. Hæc summa est. Nunc sequitur.

11 *Vbi domicilium leonum: & locus pascui leonibus, quò veniebant leo, leo catulus leonis, & nemo exterrens?*

12 *Leo rapiebat quantum sufficeret catulis suis, & strangulabat leanis suis, & replebat rapina speluncas suas & lustra sua præda.*

Hic insultat Propheta Assyriis, quia putarent urbem Nineuen esse remotam ab omni periculo sicuti leones dum sunt in suis latebris nihil metuunt. nam correptam prædam illuc vel trahunt suis vnguibus vel ore: sic etiam Assyrii quum putarēt se in tuto esse dum florebat Nineue, eo maiore licentia vndique rapiebant prædas. Nam Nineue non modò spoliariū erat latronū, sed erat quasi leonū spelunca. Plus autē scuitiæ Propheta exprimit dū Assyrios leonibus comparat, quā si vocasset simpliciter latrones. nūc ergo videmus quid sibi velit: *vbi locus leonum*, inquit. Et consultò ita sese effert contra Assyrios, quia nemo vnquam putasset posse eos attingi vel minima noxa, quia omnibus incussus erat terror, vt sponte se subiicerēt Assyriis. Quia igitur nemo audebat sese opponere, ideo dicit Propheta, *Vbi*: quasi diceret, etiam si omnes existiment hoc incredibile, quòd Nineue possit subuerti: sic tamē oueniet, sed suscipit ipse admirantis personam, vt significet quum Dominus exequutus fuerit tale iudicium, fore opus admirabile, quod reddet ferè omnes attonitos. Hæc igitur interrogatio ostendit perperam eos facere, qui æstimabunt vindictam, de qua loquutus est Propheta, ex præsentī statu: quia ruina Nineuæ & illius Monarchiæ, erit incomprehensibile opus Dei, & quod sensus omnes rapiet in admirationem. Primò dicit, *vbi locus leonum?* est quidem hic fœmininum genus: sed consentiunt omnes Prophetam loqui de leonibus masculis. Iam adiungit, *locus pascui leonibus* כְּפָרִים vocant minores leones, quemadmodum postea videbimus: & אֲרִיָּה interea nominat maiores leones. Postea adiungit, *Quò veniebant* אֲרִיָּה leo: deinde לְבִיָּה vertunt leānam, & לְבִיָּה significat propriè leonem maiorem: statim haud dubiè in fœminino genere accipiet Propheta pro leānis. Ego itaque non contendo, quin hic quoque commodè transferre liceat *Leo, Leana*: postea, *& catulus leonum, & nemo exterrens*. Postea adiungit, *Rapiebat leo* (est idem nomen אֲרִיָּה) *catulis suis ad satietatem*, ad sufficientiam: & *strangulabat leānā*, לִלְכָאוֹתָהּ, hoc est suis leānis. hic dubium non est quin Propheta leānas intelligat: alioqui non quadraret. Postea, *Et replebat rapina speluncas suas, & latibula sua præda*: est idem nomen, nisi quòd est diuersa terminatio שָׁרָה, & שְׂרָפָה. Iam quòd toties hic Propheta repetit, leones, leunculos, leānas, non est superuacuum. Vult

enim hac verborum congerie exprimere, quàm inanis fuerit feritas in Assyriis quum dominabantur. nec dubium est, quin Reges ipsos leonibus comparet cum suis cōsiliariis, & proceribus: postea leānas vocet ipsorum vxores: leunculos autem, vel catulos leonum vocet liberos. summa est, Nineuen ita degenerasse in sua opulentia, vt illic quicunque rerū potiebantur similes essent truculentis bestiis, vacui omni humano affectu. Et vtinam hoc tantum de vna vrbe, vel vna Monarchia dictum fuisset! verum quasi in speculo hīc nobis repræsentat Propheta quod etiam hodie cernimus, & quod semper, atque omnibus seculis animaduersum fuit in maximis imperiis. Vbi enim est summa potestas, illic etiam summa licentia: & quum semel assuefacti sunt Reges & eorum consiliarii ad prædandum, nullus est finis: imò quædam rabies accenditur in eorum cordibus, vt iam nihil aliud appetant quàm vorare, & discerpere, & laniare, & strangulare. Propheta quidem hīc solari voluit tam Israelitas quàm Iudæos, vt scirent tandem non impunitam fore hostium suorum iniustitiam: sed interim voluit etiam vsque ad finem mundi ostendere qualis, & quanta sit eorum omnium crudelitas, qui tyrannicè dominantur. Et quemadmodum iam dixi, experientia docet nimis multos similes esse Nineuitis. Hoc quidem extra controuersiam est non abs re toties Prophetam hīc loqui de leonibus & leānis. Dicit ergo, Veniebant illuc Leo, deinde leāna, catulus leonis. Significat quum ius petendum esset ex illa vrbe regia, fuisse speluncam ferarum crudelium, quia Rex exuerat omnem humanitatem vnā cum suis consiliariis: vxores etiam eorū erāt quasi leānæ: filii autē & domestici velut leunculi, vel catuli leonum. Et serpit hoc modo crudelitas, quia si Rex quispiam sibi nimiam licentiam permittat: partem illius ad se trahent consiliarii: denique quisque sequitur commune exemplum, ac si quod vsu receptum est, liceret. Hanc ergo imaginem depingit nobis Propheta suis verbis: nos autem oculis nostris cerminus. Iam adiungit, Leo rapiebat quod sufficeret suis catulis strangulabat etiam leānis suis: replebat præda suas speluncas, & latibula sua rapina. Prosequitur eandem sententiam, quod scilicet sibi Assyrii coaceruauerant iniustis rapinis magnas diuitias, quoniam nulla erat æqui apud ipsos ratio. Leo igitur rapiebat catulis suis, inquit: quemadmodum leones assuefaciunt catulos suos ad prædandum, & vbi nondum ita adoleuerunt, vt audacter impetant innoxia animalia, ipsi comparant prædam: deinde adferūt etiam ad suas leānas: sic etiam docet Propheta formari omnium mores ad truculentiam simulac nacti sunt duces ac magistros. Quum dicit ¹³ sufficientiam, nō intelligit expletos fuisse Nineuitas vlla præda (erant enim insatiabiles) sed potius ad copias ipsorum respicit. Iam quod dicit, Strangulabat leānis suis, vtinam hodie non essent leānæ, quæ per se vorarent: sed videmus esse quasdam quæ superent audacia & crudelitate omnes viros. Cæterum hīc Propheta dicit quod naturale est, vt scilicet leo masculus strangulet prædam, & eam tradat postea suis leānis. Deinde adiungit, non fuisse contentos Nineuitas quotidiana rapina, quemadmodum multi prædones viuunt in diem: sed dicit fuisse prædas repositas. Implebant ergo lustra sua, & speluncas rapinis & prædis. Porro quauis nondum tam apertè loquatur Propheta, vt statim videbimus, certum tamen est hīc notari causas, cur Deus tam atrocem vindictam sumpturus sit de Nineuitis, quia scilicet iam desierant esse hominibus similes, & degenerauerant in sæuas bestias. Sequitur:

13 *Ecce ego ad te, dicit Iehoua exercituum, & comburam in fumo currum eius, & leunculos tuos comedet gladius, & excidam è terra prædam tuam, & non audietur amplius vox nunciorum tuorum, aut dentium molarium.*

Hīc quo plus efficacix obtineat sermo, Propheta inducit Deum ipsum loquentem: *Ecce ego ad te*, inquit. Hactenus loquutus est vt præco Dei: & ideo quasi pro imperio mandabat Chaldæis, vt Nineuen diriperent. Sed vbi Deus ipse prodit in medium, & interim non vtitur ore hominis, sed profert ipse sua decreta: hoc magis est emphaticū. Hæc igitur ratio est cur nunc palàm loquatur Deus. *Ecce ego*, inquit, *ad te*: scimus quid valeat demonstratiua particula *Ecce*. Deus enim quasi expergefactus à somno, ostēdit sibi tādē curæ fore suas partes vt suscipiat causam populi sui: deinde vt pœnamumat de mundi sceleribus, *Ecce ego ad te*, inquit. Alibi vidimus similes loquutiones: ideo non opus est longius insistere. *Exuram*, inquit, *in fumo currus eius*. Hīc per Fumum, intelligunt fumosum ignem. sed puto aliud velle Prophetam, quod scilicet primo impetu Deus consumet currus omnes Nineuæ: quasi diceret, simulac erumpet flamma, actum erit de omnibus copiis Nineuæ. Per currus enim haud dubiè intelligit quemlibet apparatus belli. Scimus tunc pugnasse ex curribus: quemadmodum hodie sunt equites cataphracti, sic etiam erat vsus curruum in bellis. Ergo per synecdochen Propheta hīc designat copias omnes bellicas. *Exuram* igitur *currus*: Quomodo? nempe solo fumo: id est, simulac prima flamma incœperit emergere (tunc enim surgit fumus antequā ignis appareat, vel vires collegerit): denique ostendit Propheta momento vno in nihilum redactū iri Nineuen, simulac Deus voluerit vlcisci eius scelera. Postea in tertia persona adiungit, *Et leunculos tuos comedet gladius*. Hīc mutat qui-

quidem personam: sed magis emphaticus est sermo, ubi Deus iracundiam demonstrat in abrupta oratione. Dixerat, Ecce ego ad te: postea, Exuram currus eius: iam vix dignatur sermonem dirigere ad Nineuen. Postea iterum ad ipsam redit, & leunculos tuos gladius vorabit. Quum ergo ita abrupte loquitur Deus, magis exprimit quam horribilis futura sit vindicta, quam sumere statuerat de Nineuitis. Tandem addit, *Exterminabo etiam e terra pradam tuam*: hoc est, iam non licebit tibi grassari pro more: quia cōpescam hanc tuam truculentiam, si libeat Prædam accipere pro ipso actu. Posset tamen commodè exponi de Gentium spoliis, quia vndique tyrannica sua venatione cibum Nineuitæ rapuerat: atque ita referetur ad direptionem urbis. *Exterminabo* igitur è terra: id est, ex tua regione opes illas quæ fuerunt hactenus coaceruatæ: quemadmodum si leo vndique raperet. *Neque audietur amplius vox nuntiorum tuorum*. Qui מלכאִים hic nuntios intelligunt, referunt hunc sermonem ad feciales, per quos denuntiare solebāt Assyrii bella vicinis gentibus. Quoniam ergo mittebāt huc & illuc suos præcones aut feciales, qui bellum indicerent, & sonitus ille terribilis ubique personabat, exponunt Prophetæ verba, quod Deus imponet tandem silentium, ne posthac ita conturbent omnes vicinas regiones tumultu bellico. Sed quoniam illa expositio coacta est, libenter recipio quod alii tradunt, hic potius notari dentes molares. Nomen non est scriptum ut ferebat Grammatica: dicit מלכאִים, neque מלכאִים debebat esse in fine dictionis, & debebat interponi in penultima syllaba י, nota pluralis numeri: & si hoc ad personam Regis pertineat, debebat scribi מלכאִים. Fatentur igitur omnes non esse hoc nomen scriptum secundum grammatices rationes: & quoniam מלכאִים vocant Persæ molas: ideo optime conueniet si vertamus, Non audietur amplius vox dentium molarium. Nam quum leones arripiunt dentibus prædam, simul etiam confringunt ossa, & ita edunt fragorem quum animal aliquod vel hominem dentibus suis atterunt. Conueniet igitur optime hic sensus, *Non audietur amplius vox dentium*: id est, non audietur fragor ille inter tuos dentes: quia dum nunc atteris tuas prædas, stridorem emittunt dentes tui. Non audietur ergo ex fragore illo clamor, vel fremitus, vel stridor dentium. sed quantum ad summam rei, hoc parum refert. Prophetæ simpliciter hic docet fieri non posse quin tandem Deus tyrannos compescat: quia etiam si dissimulet ad tempus, non tamen obliuiscitur gemitus eorum, quos videt iniuste affligi: præsertim verò ubi tyranni negotium facessunt Ecclesiæ, Prophetæ hic demonstrat tandem Deum fore cognitorem: & ideo probè expendere conuenit hæc verba, *Ecce ego ad te*. Quauis enim Deus hunc sermonem dirigat tantum ad Assyrios, quia tamen simul causas notat cur tam seuerè contra ipsos exurgat, haud dubiè extenditur sermo ad omnes tyrannos, & quicumque crudelitatem exercent contra miseros homines & innoxios. Sed hoc clarius exprimitur sequenti versu.

CAPVT III.

VRBS sanguinaria, tota mendacio, vertunt, rapina plena est: non recedit præda, vel non recedet præda.

Quemadmodum iam dixi, Prophetæ hic rationem clarius exprimit cur tam seuera futura esset Dei ultio contra Nineuitas, quod scilicet fuerant dediti sanguinis: ideo vocat urbem sanguinam ab affectu, *Urbs, inquit, sanguinaria*! Exclamatio emphatica est: quanquam vox, מלכאִים interdum significet Væ. Sed hic perinde est ac si Prophetæ violenter attraheret Nineuen ad subeundas pœnas. *O urbs sanguinaria*! postea, *tota plena* מלכאִים. deducitur hoc nomen à macilentia: nec dubium est quin Prophetæ hic coniungat duas voces, quæ videntur inter se longè differre, & tamen idem significant. nam מלכאִים significat reponere. Verum quidem est מלכאִים sumi pro mendacio vel vanitate, ubi nihil est in sermone solidi: & non dubito quin hic utroque verbo intelligat Prophetæ rapinas urbis Nineuæ. Impleta est igitur macilentia, quia alias omnes consumpsit: deinde plena est prædis. Se enim repleuit. Sed consilium Prophetæ minimè ambiguum est: tandem enim adiungit, *Non discedet præda*, hoc est, non subtrahetur è manu victorum, sicuti quidam intelligunt. sed rectius alii, qui notari existimant continuam prædandi licentiam, quod assidue occupati fuerint Assyrii in suis rapinis, nec vllum fecerint modum prædandi. Videmus ergo nunc Prophetam ostendere cur Deus dicat se aduersarium fore Nineuitis: quia scilicet non potest ferre iniustam crudelitatem. Ad tempus quidem tolerat, quia non statim profert suum iudicium: sed nunquam tamen obliuiscitur sui. Ergo quum semel denūtiauerit per os Prophetæ Deus, se ultorem fore sanguinis quam exercuerant Assyrii, sciamus retinere adhuc suam naturam: & utcumque nunc licentiam ad tempus concedat tyrannis & feris istis bestiis, tamè manere semper iustum ultorem. Nostrium est placidè ferre iniurias, & gemere ad ipsum: & quia promittit se tandem nobis affore, etiam partes nostræ sunt confugere ad ipsum, & petere, ut tandem nobis succurrat, postquam scilicet viderit oppressam esse suam Ecclesiam, & viderit tyrannos sic licetiosè grassari, ut tempus sit quo oporteat ipsos cohiberi. Si ergo ita quieti semper

nos continebimus sub Dei præsidio, non dubium est quin hodie etiam paratus sit ad exequendum idem iudicium, quod sensit vrbs Nineue cum toto populo.

P R E C A T I O.

Deus omnipotens Deus, quando hic audiuius denūtiari tam formidabiles pœnas tyrannis omnibus & latronibus, ut hac admonitio nos cōtineat in equitate, ne quis nostrum abutatur sua potestate ad opprimēdos innoxios: sed potius studeamus alii aliis prodesse, & nos totos componamus ad regulam equitatis: deinde etiam solatiū hinc percipiamus quoties nobis molesti sunt atque infesti improbi, ut tamen non dubitemus nos sub tutela tua esse, & te instructū ea virtute, qua sufficiat ad nos tuendos, ut patienter feramus iniurias, donec tandē opportunum adueniat tempus quo nobis opituleris, & potentiā tuam exeras ad nos seruandos: neque tamen desistamus patienter ferre quandiu voles nos exercere in hac militia, donec defuncti omnibus nostris arumnis perueniamus ad beatā illam quietem qua nobis reposita est in celo per Christum Dominum nostrum, Amen.

2 Sonitus flagelli, & sonitus commotionis rotæ, & equus concutiens, & quadriga exultans.

3 Eques ascendere faciens, & flamma gladii, & fulgur lanceæ, & multitudo occisi, est mutatio numeri, occisorum, & pondus cadauerum, hoc est, etiam multitudo, & nullus finis cadaueribus eius: impingent in cadauera eius.

Hic Propheta quasi in viuā imagine repræsentat quod instabat Assyriis. Nam proponit Chaldaeos illorū hostes cum suo apparatu & strenua celeritate: Vox flagelli, inquit. Nā sonabunt flagella ad incitandos equos: vox commotionis rotæ, hoc est, magna erit festinatio & celeritas, vbi ita flagellis adacti fuerint equi: equus etiam concutiens terram, & quadriga exultans: eques ipse faciens ascendere: deinde flamma gladii, & fulgur lanceæ. Postea adiungit tantā fore stragem, ut tota regio plena sit cadaueribus. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: quia enim Nineue tunc poterat videri inexpugnabilis, ideo Propheta pluribus verbis confirmat quod dixit de propinqua eius ruina: & ideo ponit Israelitis ante oculos quod tūc fuit incredibile. Quātum ad verba spectat, vbi vertimus, Eques ascendere faciens, contextūt quidam interpretes quæ sequuntur, nempe ascendere faciens flammam gladii & fulgur lanceæ. Sed quia interponitur copula, videtur potius defectiua esse oratio, quod eques faciat ascendere: id est, ipse quoque equos suos instiget. Quātū attinet ad nomen נִינְוָה, non dubito quin hic positum fuerit pro Flamma. Scio metaphoricè hac voce notari etiam splendorem in gladiis, quia videntur flammare. Sed Propheta paulò post adiungit fulgur. Quoniam ergo dicit fulgurare lanceas, non dubito etiam quin eadem ratione dicere velit flammare gladios. Hæc omnia eò spectant, ut certò persuasum sit Israelitis, Nineuen quanlibet magnis opibus sit instructa, propinquā tamen esse cladi, quia præualebunt hostes: & ideo subiicit vias omnes plenas fore cadaueribus, ut non possint hostes ingredi, nisi cadauera ubique calcando. Sequitur.

4 Ob multitudinem scortationum meretricis pollentis gratia, magistra veneficiorum, vendentis Gentes in scortationibus suis, & nationes in suis veneficiis.

Causam rursus assignat Propheta cur tam atrocem vindictam sumpturus sit Deus de illa vrbe, quæ tamen suo splendore cōciliauerat sibi apud omnes populos magnam gloriā & reuerentiam: videtur autem quodammodo parum respicere mūdi ordinem Deus, vbi ita euer tit magnas vrbes. Nam quum sit totius mundi opifex, videtur proprium esse eius officium tueri singulas etiā partes: maximè quæ pulchritudine excellunt plus cōmendationis videntur mereri. Si qua igitur vrbs speciosa diruitur, tūc occurrūt istæ cogitationes, Deū vel oblectari mūdi ruina, vel dormire in celo: & ita fortuitò & temere omnia volui. Propheta igitur ostendit iustas esse causas Deo cur decreuerit Nineuen perdere. atq; ut istam pulchritudinē deformet, ne posthac fallat oculos, cōparat Nineuen meretrici: quæ similitudo videtur parum congruere. Sed tamen si omnia propius expēdimus, non potuit aptius nec magis concinnè Propheta ostēdere qualis esset conditio vrbs illius. Prius disseruit de sæuitia: & ideo dixit esse speluncam leonum, & illic habitasse sæuas & sanguinarias bestias. Iā incipit cōcionari de fraudibus & peruersis artificijs, quibus & opes, & potentiā sibi acquirunt Reges huius mundi. Vrbē igitur Nineuen ideo scorto similē facit Propheta, quoniam non modò minis & terroribus, atque etiam sua crudelitate redegerat vicinos populos in suam potestatem: sed quia obliquis artibus & fraudulentis rationibus, quia captionibus variis, quia illecebris illaqueauerat multos, hæc ratio est cur nunc vocetur à Propheta Meretrix. Videtur quidem Prophetæ Dei parum reuerēter loqui de magnis vrbibus & imperijs: sed scimus hoc propriè competere in Spiritum Dei, ut dum exercet iurisdictionem suam, retegat totius mundi

mundi flagitia, quæ alioqui abscondita sunt. imò sub specie virtutum fallunt oculos & sensus simplicium. Et quoniam sibi tantopere placent homines, & inebriati sunt suis deliciis, ideo necesse est asperius tractari qui nimium lauti ac delicati sunt. Quoniam ergo reges semper opponunt suum splendorem, ut perstringant oculos simplicium, & videntur sub magnitudine sua habere pulchrum integumentum: ideo Spiritus Dei laruas istas discutit. Hæc igitur ratio est cur Propheta hinc minus honorifice loquatur de summa illa monarchia, quæ tunc traxerat in admirationem sui omnes populos. Nam si mediocri & vulgato stylo utatur Dei Spiritus, homines ut cæcutiunt in suis vitiis, non agnoscent suam turpitudinem: imò audebunt etiam contra obiicere quæ occultant eorum dedecora. sed Spiritus Dei per-rumpit, & hic excutit omnes blanditias in quibus sibi homines imponunt. Hæc ratio est similitudinis: *Propter multitudinem scortationum*, inquit, *meretricis pollentis gratia*. Per concessionem hoc dicitur, quod gratiosa fuerit Nineue, hoc est, sua pulchritudine pellexit ad se multas gentes: quemadmodum si meretrix conciliet sibi multos amatores: & ita etiam fatetur Propheta Nineuen fuisse speciosam: sed adiungit fuisse *magistram veneficiorum*. *משכיש* significat Veneficium, significat etiam Præstigiis. ergo hinc *משכיש* possumus vertere Præstigiis. Sed videtur Propheta alludere ad philtrea vel potiones amatorias, quibus scorta dementant adolescentes. Quoniam ergo meretrices non modò fauorem sibi acquirunt sua forma & blando aspectu, & aliis visitatis rationibus, sed etiam quodammodo fascinant miseros adolescentes, & vtuntur variis artibus quasi præstigiis: ideo sub hac voce comprehendit Propheta omnes fraudes, quæ cernuntur in meretricibus: ac si diceret, Fuit hæc meretrix non modò pulchra, sed etiam incantatrix, quæ suis illecebris ita decepit miseras gentes, ac si scortum dementet miseros adolescentes, qui sibi non cauent. Postea adiungit, *Venditis gentes in suis scortationibus, & nationes in suis veneficiis*. Tametsi adhuc metaphoram prosequatur Nahum, clariùs tamen ostendit quid per scortationes & veneficia intelligat: nempe artificia Principum, quibus attrahunt suos vicinos, & tandem coniiciunt in seruitutem. Ergo omnia consilia Regum (quæ ipsi vocant Practicas) hinc à Spiritu Dei vocantur Veneficia, vel Præstigia, item Meretriciæ artes. Hoc, quemadmodum iam dixi, putarent multi esse nimis durum: quia tanta maiestas tunc refulsit in Assyriis, ut deberent saltem paulò humaniùs tractari. Sed oportuit Spiritum Dei ita vehementer agere: quoniam nemo est qui non laudet istas astutias. Siquis seposita mentione Principum interroget, an rectum sit fallere, deinde mendaciis, fraudibus, periuriis, captionibus, & aliis artibus fucum facere, in promptu erit responsio, hæc omnia esse procul remota à virtute: quoniam nihil magis hominem deceat, quàm ingenua synceritas. Cæterum ubi in medium veniunt Principes, & prætexunt orbem regendum esse magna prudentia, nisi agitentur occulta consilia, statim ruitur omnes monarchias: hoc velum obtegit omnia eorum flagitia, ut liceat ipsis etiam cum laude hunc fallere, illum circumuenire, tertium opprimere fraudibus. Quoniam ergo Principes laudantur in sua vassitute, hæc ratio est cur Propheta hinc quasi violenter auferat laruam illam, sub qua abscondunt sua flagitia: Sunt, inquit, meretriciæ artes, sunt etiam veneficia, vel præstigia. De vrbe quidem vna hinc habetur sermo: sed non dubiù est quin Propheta sub hac viua imagine nobis depingat quomodo crescant imperia, & quibus artibus: primum latrociniis scilicet: deinde captionibus, quæ ne ingenuos quidè homines ex media plebe decerent. Sed Principes nunquàm præualerent, nisi præditi essent istis artificiis. Atqui videmus quo elogio hinc ornètur à Spiritu Dei, quod scilicet sint meretrices præditi & præstigiis, & aliis scædis & foetidis etiam artibus, quas vocat Scortationes. Dixi autem posse certius elici Prophetæ sensum ex secundo membro versus, ubi dicit *Nineuitas mercatum exercuisse de Gentibus*. Videmus enim ut hodie quoque pro sua libidine commoueât totum orbem Principes: quia produnt alii aliis innoxios populos, & exercent scædam nundinationem, dum quisque commodum suum venatur, & sine vilo pudore tantum ut augeat suam potètiā, alios tradit in manum inimici. Quoniam ergo eiusmodi artes hodie nimium sunt in vsu, non est quod longo sermone hinc explicare studeam Prophetæ mentem. Vtinam procul quærenda essent exempla! Pergamus:

5 *Ecce ego ad te, inquit Iehoua exercituum, & retegam simbrias tuas super faciem tuam, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis sceditatem tuam.*

6 *Et proiiciam super te sordes, vel inquinamenta, & ignominia afficiā te, & ponam te quasi stercorem, alii vertunt: alii autem, quasi exemplum. dicam postea de ipsa voce.*

Hic confirmat Propheta quod prius dixit de excidio Nineue: sed inducit, quemadmodum heri dictum fuit, loquentem Deum, quod efficacior sit sermo. Deus ergo hinc testatur Assyriis non cum aliquo homine mortali fore negotiū vel certamē, sed cum suo iudicio: quasi diceret, non est quod cōferas vires tuas cum Chaldaicis: sed cogita me esse ultorē tuorum sceclorum. Venient quidè Chaldæi: sonabunt quadrigæ, & exilient equi, etiam concutient terram equites: gladios suos exercent, qui flammabunt: deinde lanceæ erunt instar fulgurum: sed

non est quod putes Chaldaeos sponte sua irrumpere. Ego enim eos dirigo occulta mea providentia, quia mihi decretum est te perdere: & iam maturum est tempus, quo exerceam iudicium meum contra te: *Ego, inquit, sum Iehoua exercituum.* Et epitheton נחמך ad circumstantiam loci referri debet: quia hic potentiam suam prae dicat Deus, ne existiment Assyrii se villo modo elabi posse. Postea adiungit, *Retegam fimbrias tuas super faciem tuam.* Alludit ad similitudinem quam nuper vidimus, meretrices enim totae refulgent, & affectant in suo vestitu nitorem & elegantiam: nec solum vestiunt se pretiose, sed etiam fucos adiungunt. Quoniam ergo ornatus ille occultat turpitudinem in scortis: si quis autem veste scorti accipiat, & proiciat super caput ut appareant pudenda, iam cessat decor ille: & tunc omnes abhorret ab intuitu. Est enim turpe & foedum spectaculum, videre ita partes pudendas reiectas. Ideo pronuntiat Deus se Nineuen spoliaturum magnifico illo ornatu, ut detestabilis sit eius intuitus, qui tantum proferet de decora. Nunc ergo tenemus consilium Prophetarum: quasi diceret, Nineue non cogitat se perituram. Quare? excacat enim eam suus splendor: & ipsa etiam sponte sese decipit, quemadmodum & iisdem fallaciis perstringit oculos omnium gentium. Quoniam ergo splendor iste videtur tueri statum urbis Nineue, *Ego, inquit, Dominus retegam pudenda tua:* id est, excutiam Assyriis totum illum splendorem, quo nunc gloriatur, & sunt etiam in pretio & admiratione apud alios. Et hic locus diligenter notandus est, quia, ut iam dixi, in summis principibus non quaeritur vera dignitas: nam principes debebant reuerentiam sibi acquirere iustitia, integritate, clementia, magnanimitate: sed pollent tantum seruilibus artificibus: deinde sine pudore fallunt, mentiuntur, perierant: deinde blandiuntur etiam seruiliter quoties res ita tulit: insinuant se variis captionibus, largisque promissionibus attrahunt simplices. Quoniam ergo vulgo non respicitur quamnam sit vera Principum dignitas, ideo notandus est hic locus, ut sciamus coram Deo foetere istam altitudinem quae rapit hominum sensus ad se: quia non iudicant, sed excutiunt perstricti inani splendore. *Retegam igitur pudenda tua, inquit.* Primum dicit, *Retegam fimbrias tuas super faciem tuam:* postea, *& ostendam Gentibus nuditatem tuam.* Tunc autem ostenditur Gentibus nuditas magnorum Regum, ubi exercet Dominus vindictam suam: quia quisque etiam ex infimo grege sordidissimus audet ferre iudicium: Dignus erat ille qui turpiter interiret, nam exercuit tyrannidem contra suos: deinde non pepercit etiam vicinis suis: & nunquam fuit ingenuus Princeps: imò tantum usus est fallaciis & periuriis. Quum ergo deiectioni sunt Principes, tunc quisque ex theatro confurgit iudex, & quasi conscendit tribunal ut oneret atque obruat illos ignominia. Ideo dicit Propheta in persona Dei, *Retegam fimbrias tuas super faciem tuam, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis foeditatem tuam.* Postea adiungit, *Aspergam te sordibus, vel inquinamentis.* Semper alludit Propheta ad illam similitudinem, si meretrix bene ornata sit & sumptuose, talibus illecebris rapit omnium oculos: sed si quis sordes & inquinamenta arripiat ex media via, & illam conspergat, tunc nemo est qui non auertat faciem à foedo illo spectaculo. sed iam exposuimus quorsum hoc pertineat. Dicitur enim Deus inquinamentis conspergere regna, ubi ea delicit, tunc enim incipiunt omnes libere ferre sententiam: & qui prius simulabant se teneri magna admiratione, tunc proterue confurgunt, & quisque euomit multa conuitia. Tunc ergo dicitur Dominus conspergere sordibus & inquinamentis magna imperia. Tandem addit, *Afficiam te ignominia.* נכל significat Cadere: deinde transfertur ad cadauera: sed significat etiam Ignominia afficere, sicuti hic accipitur. *Ponam te quasi stercorem.* נאץ putant vocari vel stercorem, vel rem foetidam. sed quia descendit à verbo נאץ, quod est videre, & in pluribus Scripturae locis accipitur pro visione vel aspectu: recte verterunt quidam meo iudicio, *Ponam te in exemplum,* sicuti Hieronymus: quasi diceret, Tu eris spectaculo cunctis Gentibus. Dicitur autem Nineue statui in exemplum, quia ruina eius memorabilis fuit praeter aliis omnibus, quae ante acciderant. Tu igitur eris spectaculo: id est, clades ista quam nunc tibi denuntio, conuertet ad se omnium oculos. Postea sequitur:

7 Et accidet ut quisque te viderit procul recedat abs te, & dicat, Vastata est Nineveh: quis condolebit ei? unde quaram consolatores tibi?

Quum dicit נאץ, inde iterum colligimus נאץ in fine proximi versus potius sumi pro Exemplo vel spectaculo. Continuat enim eandem sententiam Propheta: *Ponam te, inquit, in exemplum, vel in spectaculum:* Quomodo? nempe ut quisque te viderit, procul recedat abs te. Hoc autem est horroris signum, quanquam existimant alii hanc fuisse mercedem crudelitatis, quod nemo accessit ad Nineue: sed derelicta fuit ab omnibus amicis in sua vastitate. Et huc etiam referunt quod sequitur, *Quis condolebit ei? & unde quaram consolatores ei?* Putant enim hic Nineuitis exprobrari suam sauitiam, quod ita infelices se omnibus praebuerint, ut indigni sint misericordia, nam qui nemini parcent, sed permittunt sibi nocendi licentiam, illi accersunt sibi totius mundi odia. Putant igitur quidam hic notari meritò exosos esse omnibus Nineuitas, ita ut nemo ipsis condoleat in tanta clade, quoniam erga omnes fuerint iniurii. Accidet ergo ut quisque te viderit, procul abs te recedat, & dicat, Vastata est Nineveh: quis condolebit ei?

ei? unde vocabo consolatores ei? Sed nescio an illa argutia venerit Prophetæ in mentem. Licebit simplicius exponere hæc verba, quod in signum horroris omnes procul fugient: deinde tantam fore cladem, vt nullus luctus respondeat: *Quis condolebit ei?* hoc est, si magnitudo huius cladis expenditur, quanuis omnes sese ad fletum proiciant & conferant suas querimonias, non tamen sufficient: omnes lamentationes longè impares erunt tam horredæ cladi. Videtur potius hoc Prophetæ velle. *Quis ergo condolebit ei? & unde queram consolatores?* quasi diceret, non vulgarem fore ruinam vrbs tam splendida, sed quæ nullis lamentationibus æquari possit. Postea sequitur:

8 *An melior est quàm Nò, id est, Alexandria, Amon, vertunt quidam populosam: alii putant esse nomen Regis. An igitur melior es quàm Alexandria populosam? quæ habitabat in fluuiis? mare in circuitu eius, cuius fossa erat mare, & à mari murus eius.*

9 *Æthiopia fortitudo eius, & Aegyptus: & nullus finis: Aphrica, & Libye fuerunt in auxilium eius.*

10 *Etiam ipsa in transmigrationem abiit ad captiuitatem: etiam paruuli eius allisi sunt in capite omnium platearū: & super procures eius, vel honorabiles, ad verbum, iecerunt sortem, & magnates eius vincti sunt compedibus.*

Hic Prophetæ vt fidem faciat suo vaticinio, producit exemplum Alexandria. Certum enim est ex multis Scripturæ testimoniis Nò vocari Alexandriam, quæ vrbs fuit vetustissima, sita ad fines Aphricæ, tamen in Aegypto. Quamquam fieri potest vt olim Alexandrini fuerint sui iuris, vel saltem habuerint proprium Regem: & hoc credibile est: quia hic Prophetæ tam Aegyptum & Æthiopiam, quàm Aphricam & Libycas gentes dicit fuisse fœderatas huic vrbi. Hinc ergo colligi potest Alexandriam non fuisse tunc partem Aegypti, sed potitam suo imperio & fœderatam Aegyptiis, sicuti & aliis gentibus. Cæterum quoniam partim ab Assyriis Aegyptus post mortem Prophetæ nostri euerfa fuit, partim verò à Chaldæis, quidam interpretes existimant Prophetam tractare de ruina illa, quæ nondum acciderat. Sed non quadraret hoc proposito: quia potius quasi in speculo ostendit Prophetæ summa quæque imperia pro Dei arbitrio ruere, & vrbes instructissimas & munitissimas etiam concidere, quoties ita Deo visum est. Nisi ergo passim nota & celebris fuisset clades Alexandria, Prophetæ parum appositè vsus fuisset hoc exemplo. ego itaque non dubito quin Alexandria iam tunc fuerit diruta. Nec mirum est postea rediisse in priorem statum: imò fuisse locupletatam: quia commodissimus erat situs vrbs, non tam propter terræ fœcunditatem, quàm propter mercimonia, quoniam illuc ferè appellunt naues ex mari Mediterraneo: habet ab vna parte paludem Marcotin, & videtur parum salubri esse aere: deinde mare stagnat: & Pharos est vicina insula. Cæterum tamen habitata fuit vrbs illa, & ornata etiam splendidissimis ædificiis, quia commoditas nauigationis attrahebat vndique multos incolas. Postea etiam rursus extructa fuit ab Alexandro Macedone. sed satis apparet fuisse urbem iam tunc opulentam. Non ergo nouam urbem condidit Alexander, sed ampliauit. Veniamus nunc ad Prophetæ verba: *An melius tibi erit quàm Alexandria?* *NON* vertunt Populosam: & ego libenter amplector hunc sensum, qui etiam receptus est ferè omnium consensu. Alii diuinant esse nomen Regis. Sed quia deficit eos probatio, relinquo eis suam coniecturam. *An ergo tibi melius erit, quàm Alexandria?* Nam *habitabat illa*, inquit, *inter fluuios.* Alexandria habet Nilum quasi sub suo arbitrio. nam diuiditur illic in multas partes, vt urbem variis locis intersuat. Sic ergo dicit Alexandriam habitasse in fluminibus, eò quod Nilum in riuos deduceret, prout ferebat commoditas. Postea adiungit. *Mare in circuitu eius.* Nam cingitur ab vna parte stagno maris, & obtegatur insula Pharo, quæ etiam turrim habet non modò munitionis causa, sed etiam vt naues quæ veniunt ex mari Mediterraneo, habeant signum quo sese dirigant, vt rectà appellant ad portum. *Mare ergo est in circuitu.* Nam mare cingit plus dimidia parte vrbs: deinde palus illa Marcotis est à Meridie opposita. Postea adiungit, & *murus vel fossa eius erat mare.* *וְהַיָּם הָיָה סָבִיבָהּ* hic scribitur cum:

sed significat tamē Murum, vel fossam: quanquam vertūt Latini Antemurale. Solebāt enim vrbes suas munire duplici muro olim, quemadmodum vetusta ædificia adhuc ostendunt. Hic erat murus interior, sicuti iudicant interpretes: & ideo vertunt Antemurale: & inde murus exterior erat etiam à mari. Sed possumus hī accipere pro fossa, & colligere etiam proutum est ex quibusdam locis potius esse fossam quā antemurale: quemadmodum corpus Iesabell laceratum fuit à canibus in ipsa fossa: & illic ponitur dictio hī. Quantum attinet ad sensum Prophetæ, intelligit Alexandriam fuisse tantopere munitam, vt nō debeat sese præferre Niueue: quia murus eius erat à mari vsque, & ab Æthiopia propter illas munitiones, quas dixit: postea *Aphrica erat & Ægyptus, & Libycæ gentes*: denique nullus finis, inquit: hoc est, vndique potuit accersere multos socios & fœderatos: & multi parati erant ad ferendam opem: etiam Aphrica, Æthiopia & Libycæ gentes erant paratæ ad auxilium eius. Atqui inquit, *Ipsa tamen in transmigrationem abiit captiua*: hoc est, incolæ Alexandriae expulsi sunt, & fuit quasi vrbs captiua: quoniam tracti sunt huc & illuc eius incolæ: *Sunt, inquit, allisi paruuli eorum in capite omnium platearum*. Significat Propheta non fuisse obstaculo tantam potentiā Alexandriae, quin extremam sæuitiam exercuerint contra eam victores: quia hoc est truculentum facinus, allidere ad lapides paruulos, quibus propter teneram ætatē parcitur. Nulla enim est contra eos sæuendi causa, quia non possunt cæseri in hostium numero. Sed tamē dicit Propheta sic tractatam fuisse Alexandriam, ne posthac Nineue suis opibus confisa tam proteruē contemnat iudicium Dei, quod nunc denūtiat. Etiam inquit, *Iecerunt sortem super eius Principes, & vincti sunt magnates eius compedibus*. Quum dicit iactam fuisse sortē, alludit ad morem vetustum. nam si qua erat controuersia de homine captiuo, fors iaciebatur: exempli gratia, Si duo vnum hominem ceperant, ne inter se litigarent, sorte iacta cedebat in dominium vnus. Sic ergo dicit iactam fuisse sortem super principes eius. solebat hoc contingere gregariis hominibus & vilissimis mancipiis. Propheta autem dicit victores ne Principibus quidem viris pepercisse. fuerunt igitur habiti quasi ex vulgo, & summi quique Principes ad captiuitatem tracti & vincti compedibus, ac si fuissent ex contemptissima plebe, vel gregariis hominibus: hoc est, non fuerunt tractati pro suo ordine, sed nullum habitum fuit discrimen inter procures, & inter contemptum & ignobile vulgus: quia etiam summi quique Principes fuerunt deiecti, vt fors eorum nihil differret à sorte miseri hominis: quia sicuti tractari solent homines plebei & nullius petii: ita Alexandriae procures tractati sunt à suis hostibus.

P R E C A T I O.

DA omnipotens Deus, quādo pro tuo incomprehensibili iudicio fulminas contra superbiam huius mundi, vt regamur Spiritu mansuetudinis, atque ita sponte humiliemur sub manu tua, ne expiamur hanc tuam formidabilem potētiā in exitium nostrū, sed potius suffulti tua virtute, cōtineamus nos in gradu nostro & in vera simplicitate: interea etiā confisi tuo præsidio, nō dubitemus quin praeualeat contra omnes quantumuis violentos impetus hostium nostrorū: & sic pergamus sub milita crucis ad quam nos destinasti, donec tandem colligamur in regnum illud celeste, vbi sic triumphū agemus cum Filio tuo, vt splendor eius in nobis refulgeat, deiectis omnibus reprobis, Amen.

II Etiam tu inebriaberis, tu eris abscondita, etiam tu quæres robur, vel suppetias, ab hoste, vel propter hostem.

Postquam exemplum Alexandriæ proposuit Nahum, iam ostendit nihil posse Deo obstare, quominus Nineuen eodem modo tractet: atque id facturum pronuntiat, *Tu quoque, inquit, inebriaberis*. Nota est ista metaphora, vt satis frequenter occurrit in Scripturis. nam solent Prophetae vt plurimum vocare pœnam cuiusque Calicem quem Deus propinat. Ceterum vbi Deus grauius iudicium exercet, dicitur inebriare calice suo reprobos. Nunc dicit Propheta talem fore castigationem Nineuæ, vt instar ebrii hominis (qui vino obrutus est) quasi attonita iaceat. Ergo hac metaphora voluit exprimere atrocissimā pœnā. Tu ergo etiam inebriaberis. Iam particula *Et* emphaticē hīc ponitur, vt sciant Nineuitæ se non posse effugere quam meriti sunt pœnam: quia Deus manet semper sui similis. Tu igitur etiam inebriaberis. hoc est non quadraret, nisi Deus esset iudex mundi vsque in finē. Est igitur cōmunis ratio: ideo necessariō consequitur, quum Deus pœnā sumpserit de Alexandrinis, Assyrios non posse manū eius effugere, neque elabi ex simili pœna. Adiungit, *Eris tu abscondita*. quidā hoc referunt ad pudorē, ac si dixisset Propheta, Tu nunc quidem superbē te ostentas, sed calamitas coget te latebras quærere, in quibus te occultes. Sed magis inclino in diuersū sensum, quod euanesceat Nineue ac si nūquam fuisset. nam abscondi accipiunt sæpe Hebræi pro In nihilū redigi. Postea addit, *Tu quoque quæres robur, vel suppetias ab hoste* מַחְסֵי מִלְּחָמָה. Duplex potest esse sensus, vel quod supplex deprecabitur hostes suos, vel quod propter inimicos cōfugiet ad subsidium alienū. nam particula *Et* potest vtroque modo accipi. Si prior sensus placeat, puto Prophetā loqui non de Babyloniis, sed de aliis gentibus quæ prius fuerant bello

bello vexata ab Assyriis. Tu ergo nunc suppliciter precaberis eos, qui haec tibi fuerunt hostes: non quod te lacefferint, sed quod tu hostiliter eos tractasti. Hæc autem extrema est miseria, dum cogimur ad eorum auxilium confugere quibus sumus exosi, propterea quod iniuriis nostris eos prouocauerimus. Sed alter sensus magis placet, quia minus coactus est: *Tu etiam quæres suppetias propter inimicum*: id est, quia vires ad resistendum non suppetent, hinc inde petes auxilium à vicinis tuis. Sequitur:

12 *Omnes munitiones tuas sicut cum maturis, fructibus: si moueantur cadunt super os comedentis.*

Hic denuntiat Propheta nihil profore Assyriis munitiones suas, siue confidant multitudine hominum, siue muris suis, siue aliis præidiis, quia omnia, inquit, hæc sponte cadent, etiam sine magno impetu. & vitur similitudine valde appositæ: munitiones tuas, inquit, quas putas valde firmas esse, erunt similes ficibus: quia ubi maturi sunt fructus, si quis ad arborem accedat, simulatque eam tetigerit, aut ramum aliquem, fructus sponte cadent. Scimus enim non multum esse firmitudinis in illo fructu: ubi maturuit, statim cadit in terram, vel si pendet in suis ramis sine magna violentia statim decedit. Nunc tenemus consilium Prophetæ, Et hinc colligi potest utilis doctrina, quicquid roboris hinc inde sibi accersunt homines, hoc totum euandum fore: quia neque propugnacula, neque turres, neque fossæ, neque copiarum hominum, neque ullarum machinarum quidquam valebunt, quin sponte, etiam si nemo contra surgat, tamen cadant. Postea sequitur:

13 *Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis aperiendo aperientur porta terræ tuæ: vorabit ignis vestes tuas.*

Hic Propheta denuntiat molles & effæminatos fore omnium animos, ubi Deus volet perdere Nineuen. Diximus autem paulo ante corda hominum ita esse in manu Dei, ut liquefaciat quicquid est in illis fortitudinis quoties visum est. Et Deus hoc modo præparat homines ad interitum ubi corda ipsorum debilitat, ut ne conspectum quidem hostium ferant. Posset quidem Deus hominibus relinquere suam pertinaciam, ut semper furiosè ruerent, & possent repellere inuito animo hostium suorum insultus: sed sæpe tamen corda ipsorum emollit, & spoliatur sua virtute, quod magis reluceat iudicium ipsius: non tamè semper æquabiliter operatur: quia varietas in iudiciis Dei nobis prodest, dum per eam sensus nostri melius expergefiunt. Si æqualis esset tenor, non possemus ita animaduertere manum Dei, sicuti quum nunc vno modo, nunc diuerso agit. Sed quemadmodum iam dixi, hæc satistrata est ratio, quod Deus homines eneruat, & corda ipsorum priuat omni virtute, ubi eos addixit exitio. Sic nunc loquitur Propheta de Nineuitis, *Ecce, inquit, populus tuus mulieres*. Et demonstratiua particula emphaticè accipitur: quia Assyrii proculdubio risissent veluti fabulam hoc vaticinium Prophetæ: & difficilis etiam erat res creditu apud Israelitas. Hæc ratio est cur Propheta quasi digito demonstret quod superabat hominum sensus. Quum dicit, *In medio tui*, significat etiam si diuisi sint à suis hostibus, & habitent in vrbe munita, fore tamen plenos trepidatione. Hæc amplificatio satis notanda est: quia nihil mirum si exterreat nos congressus, ubi hostes manum cominus cõserunt, ubi etiam multa sese ingerunt oculis nostris quæ possint nobis deicere animos. Sed ubi expauescimus sola hostium fama, & quauis muri intersint, tamen sumus quasi exanimis, hinc apparet nos percussos esse manu Dei: quia si cernimus muros lapideos: & interim corda nobis sint vitrea, nonne apparet intus quasi arcano instinctu nos perterritos esse à Domino, potius quàm mediis & naturalibus causis? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum dicit *populum fore muliebrem*, vel effæminatum, *in medio ipsius urbis*, in ipsis visceribus, quasi diceret, etiam si habitent in tuto loco, tamen non desinent trepidare. *Aperiendo aperientur portæ tuæ*, inquit, *inimicis tuis*. Significat rursus quantumuis muniti sint Assyrii, tamen apertos fore omnes accessus hostibus, ac si nulla essent propugnacula. quia dicit, *Portas terræ*, probabile est non loqui de vrbe ipsa duntaxat, sed de omnibus propugnaculis. Nec dubium est quin Assyrii plures vrbes munierint, quibus possent longè arcere hostem, & ut primaria sedes regni esset extra discrimen & metum. Ego igitur intelligo de multis urbibus quod hic dicit Propheta, *Aperiendo aperientur portæ terræ tuæ hostibus tuis, & ignis vorabit vestes tuas*. Significat, etiam si sedulo prius munierint totam terram in circuitu, ita ut putarent se fore securos ab omni incurfu hostili, tamè hoc fore inutile: quia ignis comedit vestes ipsorum. per Ignem metaphorice intelligit Propheta iudicium Dei. Nam sicuti videmus tantam esse ignis vehementiam, ut ferrum quoque & chalybem consumat: ita Propheta intelligit nullum fore robur quod defendat Nineuen & eius imperium contra manum Dei. Sequitur:

14 *Aquas absidionis hauri tibi, robora munitiones tuas, ingredi in lutum, calca cementum, fortifica fornacem, vel laterem: alii vertunt Tene, vel Apprehende.*

Q. iij.

15 *Illic vorabit te ignis, exterminabit te gladius, comedet te quasi bruchus*, (alii vertunt quasi bruchum,) *multiplicari*, (ad verbum, vel multiplicando: est כרר quasi bruchus.) *multiplicare quasi locusta*.

Prosequitur eandem doctrinam Propheta, nempe Ninevitas operam esse perdituros, quum strenuè & magno conatu sese defendere studebunt contra hostes. Sensus igitur est, quanvis nihil diligentiae reliquū facias, tamen tu operā ludes: quia nō poteris repellere Dei vindictam: & falleris si putas cōsuetis rationibus posse te iuvari: quia Deus est qui te aggreditur per Babylonios. Vtunque igitur omnia accumules, quæ solent fieri ad vrbes muniēdas, hoc erit tibi inutile, *Hauri tibi*, inquit, *aquas obsidionis*: id est, prospiciastibi de annona, vt fieri solet, & aquam etiam repositam habeas in cisternis, etiam si robore munitiones tuas, id est, si instaures si ingrediaris lutū calcandi cæmenti causa, si lateres tuos fortifices, id est, coagmentes, vel compingas (nam quod alii פין putant hic accipi pro Tenere, vel apprehendere, prorsus alienum est à Prophetæ sensu) Fortificare igitur fornacem, hoc est lateres qui prodeunt ex fornace, nihil aliud est quàm compingere, vel coagmentare inter se, vt solidum sit ædificium. Nam scimus ideo sæpe collabi ædificia, vel euerti, quia minus bene cōpacta sint: & respicit ad modum ædificandi, quem historici tradunt fuisse Assyriis in vsu. Nam quia regio illa destituitur copia lapidum, lateribus supplet defectum illum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, sed addit, *Illic te ignis comedet*. In aduerbio loci multum est pōderis, quum dicit, *illic quoque te ignis comedet*, nam plus aliquid exprimit quàm nuper, quodd scilicet non modò frustra sese fatigabunt Assyrii in vrbe sua munienda & toto imperio, sed etiam quodd Deus conuertet in ipsorum exitium quæ confidunt sibi fore præsidio. *Illic ergo te ignis comedet*. Nunc videmus quid intelligat Propheta. & interim notandum est hīc poni Aquarum nomen, ac si diceret, Etiam si parcè & frugaliter viuant milites tui, contenti sint potu aquæ (quemadmodum necesse est, vbi volumus constanter hostibus resistere, obliuisci omnes lautitias & ferre etiam in ediam si, opus sit, saltē penuriam delicati cibi & potus) etiam si milites tui contenti sint sola aqua, & quidem non petant aquam recentē ex fonte vel fluuio, sed tantū bibant ex cisternis: etiam si munitiones tuæ refectæ sint: et si diligenter muri tui sint coagmentati solida structura, quia inter se tenaciter coniuncti erunt lateres: tamen *illic te vorabit ignis*, id est, tua frugalitas, tua strenuitas & diligentia non modò nihil tibi proderit, sed etiam tibi cedit in perniciem: quia maledicit Dominus hominū arrogantia, vbi præidiis suis confidunt. Postea addit, *Exterminabit te gladius*: id est, Dominus inueniet varios modos, quibus te absumat. Igne igitur & gladio te conficiet ac vorabit. Postea addit, *Comedet te quasi bruchus*. Possemus tam in nominatiuo casu quàm in accusatiuo legere, *Comedet te quasi bruchus*, si placet ista lectio, sensus erit, Quemadmodum bruchi exiguo tempore vel pratum, vel segetem aliquam deformant, sic te repentē conficient hostes quasi vno morfu. Scimus enim animalia illa adeo esse noxia, vt totas fruges statim corrumpant & consumant. multa est enim voracitas in illis animalculis. Sed quia postea confert Propheta Assyrios bruchis & locustis, ideo conueniet etiam alter sensus: quodd scilicet iudicium Dei absumet Assyrios, quemadmodum bruchos absumit vel pluuia, vel tempestas aliqua, vel mutatio temporis, quemadmodum enim valde noxia sunt ea animalia, sic etiam Dominus illa exterminat, quū ita visum est. Postea adiungit, *Multiplicari*: est, quemadmodum iam dixi, modus infinitiuis verbi. Sed sententia Prophetæ est, *multiplicando quasi bruchus, multiplicare quasi locusta*. Cur autē hoc dicat, melius intelligi poterit ex contextu. Ergo contexti debent duo sequentes versus:

16 *Multiplicasti negotiatores tuos quasi stellas calorum: bruchus prædatus est, & auolat.*

17 *Principes tui*, (vel coronati, deducitur enim à כרר, quod significat coronam: sed malo vertere Egregios, vel Præstantissimos quosque: Principes ergo tui, vel Eximii tui,) *quasi locusta, & duces tui quasi locusta locustarum*, (est quidem aliud nomen, sed non possumus certo distinguere inter illas species, quemadmodum dictum est Ioelis 1. capite.) *quæ castrametantur*, id est, confidunt, *in maceris*, id est, clausuris, *in die frigoris: sol exortus est, & migrarunt, & non cognoscitur locus earum vbi*.

Ex his verbis colligere licet quid prius voluerit Propheta, vbi dicebat Assyrios similes esse locustis, vel bruchis: quasi diceret, Scio vos confidere vestra multitudine: estis enim quasi examen bruchorum, vel locustarum: hoc est, præualetis numero. Nam congregasti mercatores vel negotiatores tuos quasi stellas cœli. Hīc ostendit ingentem esse numerum. Sed vbi addit, *Bruchus prædatus est, & auolat*, secundā rationem similitudinis designat. neque enim satis esset tenere vnum membrum, sed coniungi debent hæc duo, quodd Assyrii quum essent ferè innumeri, gloriati sint sua multitudine: deinde quodd illa multitudo fuerit etiam

euanida. Ergo per concessionem hinc dicit, Multiplicando negotiatores tuos, multiplicasti: sed quum dicit, Quasi bruchos, & quasi locustas, ostendit hanc multiplicationem non fore firmam: quia Dominus disperget eos huc & illuc. Quoniam ergo propinqua est dissipatio, ideo Propheta dicit eos esse bruchos & locustas. Nunc tenemus Prophetam consilium: sublannat principio stultam confidentiam qua tangebant Assyrii, propterea quod dominabantur multis populis poterant conficere magnos exercitus, & eos opponere ad omnes partes, si quis illos aggressus esset. Propheta hoc illis concedit, valere scilicet magno numero multiplicando multiplicare: sed quid tandem proficies erunt locustae, & erunt bruchi: Quomodo? iam sequitur explicatio plenior, *Multiplicasti negotiatores tuos, quasi stellas calorum*: sed hoc momentaneum erit, quia statim videbis eos dilabi, quemadmodum bruchi momento temporis huc & illuc dispersi relinquunt nudum agrum vel pratum. Ceterum per Negotiatores quidam intelligunt foederatos, & comparatio ista etiam frequenter occurrit apud Prophetas, quemadmodum ante vidimus. Et hodie etiam Principes nihil differunt a mercatoribus, quia licitantur hinc inde, & pollent similibus astutiis quemadmodum alibi vidimus, quibus vltro & citro se decipiant. Posset igitur haec similitudo congruere, *Multiplicasti negotiatores tuos: Te praeficiens*. Sed potest latius patere sensus Prophetam, ut scilicet referamus ad cines Nineue: quia non dubium est quin exercuerint praecipui quique mercaturam, quemadmodum hodie Veneti omnes sunt mercatores, ita erant & Tyrii & Nineuitae, & Babylonii etiam. Non mirum est igitur, si Propheta hinc per synecdochem sub vna specie complexus fuerit ditissimos quosque, *Multiplicasti ergo mercatores tuos*. Haec tenus concedit illis magnum numerum: sed postea adiungit, *Bruchus praedatus est & auolat*. Nam hoc verbum significat aliquando Spoliare, significat Grassari. Bruchus ergo grassatus est, & auolat, id est Principes tui, ut postea dicet, vel praecipui quique grassati quidem sunt, hoc est vastarunt multas regiones suis rapinis, spoliarunt vndique, quemadmodum bruchi perdunt & segetes & fruges quascunque. Fuiisti igitur quasi examen bruchorum. Nam perinde ac si bruchi cum magna turba inuaderent agrum aliquem, sic etiam Nineue emittere solebat vndique suos mercatores qui spoliarent ac nudarent totam terram. Bene, inquit, *bruchus praedatus est, sed auolat*, id est dispersgitur. sic continget, inquit Propheta, tuis ciuibus o Nineue. Et ideo postea adiungit, *Et principes tui quasi locustae*. hoc refertur ad maleficia, quibus tota fere terram vexauerant. Quemadmodum igitur locustae & bruchi quocunque veniant, corrumpunt quicquid est alimentorum, deformant omnes agros, nihil residui faciunt, & arida manet tota terra: sic etiam principes tui fuerunt quasi locustae, & duces tui quasi locustae locustarum, hoc est, magnae locustae. Scimus enim hac loquendi forma notari superlatiuum gradum apud Hebraeos. Fuerunt igitur quasi locustae voraciores duces tui. nam arfacta fuit tota terra ab ipsis. nihil enim fuit quod expleret eorum avaritiam & voracitatem. Quod autem adiungit Propheta, *Sunt locustae quae habitant in maceris tempore frigoris: ubi autem exortus est sol, non agnoscitur amplius locus earum*. Iam ostendit non fore hoc perpetuum quod Nineuitae ita deuorent totam terram, & omnes regiones expositae sint atque obnoxiae eorum voracitati. Sicut enim locustae, inquit, sese abdundant in cauernis, postea auolant, ita continget tuis Principibus. Sed posset alio modo hic locus accipi, quod scilicet Nineuitae fuerint absconditi in suis cauernis hyemis tempore: deinde, ubi erat opportunum tempus praedandi, quod huc & illuc sese contulerint, & occupauerint varias regiones, ut referrent praedas domum ex remotissimis partibus. Posset hic sensus elici ex verbis Prophetam: & apte hoc modo inter se cohaerebunt membra, quod sicut ex suis nidis euolauerant Nineuitae ad praedandum: sic etiam dispersi huc illuc migrabunt. Interim priorem sensum non improbo. Sicuti ergo *considunt locustae in maceris frigoris tempore, ubi autem sol exortus est, id est, ubi temperies ipsas inuitat* (neque enim loquitur de solibus hybernis) sed ubi iam viget calor solis, & aerem temperat: *tunc exennt, inquit, locustae, & auolant, neque amplius cognoscitur locus earum*. Significat in summa, quod praedati sunt Nineuitae, hoc fecisse quemadmodum locustae solent: sed similem etiam euentum illis instare, qui cernitur in locustis: quia Dominus scilicet faciet illos dilabi, imò diffuere momento, ut iam nullum vestigium reperiatur. Sequitur:

18 Dormitauerunt pastores tui, rex Assur, iacuerunt fortes tui, dispersus est populus tuus super montes, & nemo congregans.

Confirmat eandem sententiam, ac dicit nihil fore consilii vel solertiae in ducibus. Pastores enim Regis Assur vocat Consiliarios, quorum prudentiae fidebat, ut scimus Reges sole in suos Consiliarios recumbere. putant enim in illis satis esse consilii: & ita mandant totius populi custodiam. Deridet autem fiduciam regis Assur Propheta, quod non erit tantum vigilatiae in ipsis pastoribus, ut caueat & sibi & populo & toti regno. Loquitur in praeterito tempore vel ad certitudinem vaticinii: vel quia temporum mutatio familiaris est Hebraeis. *Iacebunt, inquit, fortes tui*. Hoc est, residues manebunt, non poterunt excurrere contra hostes, ut prohibeant impetum. *Iacebunt igitur, postea Dispersi sunt populus tuus*: hoc est, populus tuus dispersus est. *והיה* non est dispergere: & ideo non dubito quin hinc sit literae mutatio, &

positum est pro Σ : & miror cur deducant à Σ , quum potius sit à Ψ & mutatio illa literarum satis etiam usitata est Hebrais. *Populus ergo tuus dispersus est super montes, & nemo qui congreget.* His verbis intelligit Propheta tantam fore dissipationem totius imperii, ut iam nulla sit spes restitutionis. *Non erit ergo qui congreget.* Dixerat prius Duces aut fortes fore quietos. Atqui opus erat illos obuiam ire, ut hostes reprimerent: *Iacebunt*, inquit, *illi*: hoc pertinet ad ignauiam ipsorum notandam. Populus autem qui debebat domi quiescere, ut est imbellis, *erit dispersus super montes: nemo autem erit qui colligat.* Sequitur:

19 *Non est contractio, vel cicatrix facturæ tuæ, dolore est plena plaga tua: omnes qui audierint famam tuam, id est, de te, percutient manum super te: quia super quem non transiit malitia tua iugiter?*

Hic clarius ostendit Propheta, ubi dissipatum fuerit imperium Nineuæ, fore hoc incurabile malum, ut scilicet tollat spem omnem remedii. Nam improbi etiam si cladem effugere nequeant, concipiunt tamen fallaces fiducias, & existimant se posse nouas vires paulò post colligere. Ut ergo spem hanc illis auferat Propheta, dicit *non esse contractionem* fracturæ. Est etiam hæc concinna similitudo: nam ruinam vrbs Nineuæ comparat vulneri, quod non potest cicatricem obducere. *Non est igitur contractio.* alii vertunt Rugam: sed improprie. *Non ergo contractio:* deinde, *plaga tua dolore plena est:* hoc est, non poterit sedari dolor plagæ tuæ. hoc vnum est, nempe excidium vrbs Nineuæ fore irreparabile. Iam adiungit, *Quicumque audierint hanc famam, percutient manum super te.* Vertunt multi, Plaudent manum super te, vel manibus: & putant esse heterosin numeri. Sed quia manum percutere apud Hebræos signum est consensus: ideo non malè quadrabit si dicamus hoc Prophetam velle, vbiunque audita fuerit fama huius cladis, omnes approburos: Ecce, Deus tandem ostendit se esse iustum ultorem tot scelerum: sicuti dicunt Percutere manum dum paciscuntur, vel dum quis pro altero fideiubet. Sicuti ergo in fideiussione & aliis omnibus pactis dicunt manum percutere, ita etiam vbi subscribent omnes Dei iudicio: ô quàm rectè hoc factum est! ô quàm iustè Deus pœnam sumpsit de tyrannis istis vel latronibus! *Percutient ergo manum super te:* hoc est, approbabitur hæc tua clades: quasi diceret, Non tantum coram Deo maledicta eris, Nineue, sed etiam omnium gentium cōsensu. Et ita significat perituram Nineuen cū summa ignominia & dedecore. Interdum continget aliquam monarchiam ruere, & tamen omnes gement: Deus autem hic pronuntiat se non fore contentum simplici interitu vrbs Nineuæ, nisi adiungat simul publicam infamiam, ut omnes agnoscant hoc iusto iudicio accidisse. Postea addit, *Nam super quem non transiit malitia tua iugiter?* Confirmatio est proximi membri: & conueniet hæc ratio utrique expositioni. Si percutere manum accipimus pro Applaudere, conueniet hæc ratio: Quare? Gaudebunt enim tuo exitio omnes gentes: quia nulla est cui non multas iniurias intuleris. Sic enim in signum lætitiæ omnes sibi gratulabuntur ac si essent liberati: vel plaudent, id est, agnoscent te iusto Dei iudicio fuisse perditam: quia scilicet expertæ sunt omnes quàm iniquè & tyrannicè dominata fueris. Quoniā ergo malitia tua fuit instar diluuii, & ferè absorpsit omnes terras, ideo omnes vel plaudent, vel concutient in tuum interitum. Et dicit *iugiter*, ut ostendat diuturnam fuisse Dei tolerantiam. Vnde etiam apparet magis inexcusabiles esse Assyrios, quod quum Deus indulgenter ipsis pepercit, non tamen resipuerint, sed prosequuti sint eadem scelera longa temporum serie. Quum ergo ad licentiam peccandi accedit talis pertinacia, tollitur omnis excusatio. Et interim admonet Propheta Israelitas, non esse cur deficiant animis, quanuis Deus non statim ad pœnam sumendam profiliat: quia per hoc aduerbiū יָמִין significat Deū ideo ad tempus suspendere iudicium suum contra Nineuen, ut hæc patientia vel mora sit testimoniū bonitatis & clementiæ eius. Ergo videmus hic Prophetam occurrere feruori hominum, quia statim exandescunt vel fremunt, si Deus nonumat vindictam de hostibus ipsorum. Ostendit iustam esse causam Deo cur non statim exequatur pœnas contra reprobos: sed tamen venturum tempus, vbi apparuerit ipsos prorsus esse desperatos, venturum dico tempus, quo Dominus tandem exeret manum suam.

PRECATIO.

DA omnipotens Deus, quando iustitia & aequitate possumus nobis parere firmum statum, da ut tuo Spiritu gubernati contineamus nos ab omni noxa, & sic abstinemus a maleficiis, ut studeamus etiam omnibus prodesse, quò experiamur protegi omnes tuo presidio, qui sese ad regulam Legis tuæ ita conformant, ut non imminuant simplicibus ad eos perdendos aut vexandos, sed contenti sua paruitate, nihil melius agnoscant esse, quàm se totos subicere tibi & tuo presidio, & sic continenter & iustè viuamus cum proximis nostris, ut interea pendeamus tamen à misericordia tua, qua simul defendimur, & salui possumus manere contra tot Satana & improborum insultus: donec tandem confecto militia nostra cursu, perueniamus ad beatam illā quietem, qua nobis reposita est in calo, per Christum Dominum nostrum, Amen.